

PRO TORTVRA TORTI,

Contra MARTINVM BECANVM Iesuitam,

Responsio


ROBERTI BVRHILLI ANGLI.





LONDINI
Excudebat ROBERTVS BARKERVS,
SERENISS^æ^ REGIæ MAIESTATIS TYPOGRAPHVS.
Anno Dom. 1611.


Academiæ Cantabrigiensis
Liber



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI HENRICO,

POTENTISSIMI IACOBI, Regis Magnæ Britanniæ, &c. Primogenito,

PRINCIPI WALLIAE, Duci CORNVVALLIÆ, & ROTHSAYÆ, Comiti CESTRIÆ, aureæ Periscelidis Equiti.



Vo tumultu aduersariorum, continuetur (Princeps Illustrissime) & quousque prouecta sit contentio in causâ Anglicana, cui à coniuratione pulueraria (id est ab atrocissimo Iesuitarum scelere) occasio, à Iuramento autem fidelitatis initium fuit: res non ignota Celsitudini Tuæ.

 Nec

Nec mirum, si, vt ex contusi bouis putridis visceribus, aculeata examina efferuescunt, ita vapulante vndique & quasi contuso, scriptis & auspicijs Regijs, Romani dogmatis cadauere, vesparum densa acies erupit.

Illis ira modum supra: læsæq; venenum
Morsibus inspirant: animasq; in vulnere ponunt.

Quasi metuant, ne nudum prostet, & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis: *ita etiam atramentum prodigunt & operam typographicam. Nec enim contentus iam Pontifex propugnatoribus notæ paulò melioris, quibus aut modestiæ species aliqua, aut diligentiæ: nisi etiam de fece & sentinâ proiectissimos quosq; excitet. De alijs huius generis, alij (si opus erit) viderint. quæ contra Apologiam Regiam, & Præfationem Monitoriam, Martinus Becanus Iesuita inscripsit, omnia iam egregiè à doctissimo Decano Lichefildensi refutata sunt: contra Torturam Torti quæ idem Becanus exarauit, mihi nunc negotium videre: indigno, qui aut pro*

opere

opere huius Torturæ tam enucleato, aut pro auctore operis illâ doctrinâ, illâ dignitate contendam.

Atque huius quidem indignitatis meæ, quo certior apud animum meum conſcientia: eo impenſius mihi oranda Celſitudo Tua (Inſigne Germen ſidus oriens Angliæ) vt hanc, qualemcunq;, defenſionem politiſſimi operis, quam ad Tuæ Clementiæ genua ſiſto ſubmiſſiſſimè, æqui bonique conſulas. Nam neque per aduerſarij nugationes (qui ad leuiora quantum poteſt diſputationem auocat) ſatis multa de rebus maioris momenti polliceri habeo.

Sed ſi fortè iuuerit iterum cognoſcere, quàm futilis hic aduerſarius, quem eundem etiam Regi Potentiſſimo doctiſſimoque opponendum cenſuerunt: abunde hîc erit quod ſatisfaciat. vix enim in hoc genere ſcriptionis vitium excogitari vllum poterit, cuius non exemplum intra tam paucas ſuas paginas, in ſe ipſo, aut multiplex, aut luculentum ſtatuerit. Summam Ieſuitæ ignauiam,

uiam & stupiditatem summam, in insigni petulantiâ, qui volet, hîc intelliget: tum & in argumentando miserrimum, in nugis bis puerum, in mendacijs immemorem, in calumnijs, in deprauationibus, in tergiuersationibus intolerabilem. Et quanquam hæc in homine quidem ipso odiosa, non tamen (credo) iniucundum videre aduersarios nostros, ita frustra contra nos omnia velle, nihil posse. Nec nullus interim vsus in Ideâ scriptoris vitiosi contemplandâ: dum in notandis contrarijs exemplis, quasi artem scribendi controuersias (contrariorum enim vna scientia est) ante oculos proposuisse videar.

Nec nulla tamen, aut pauca (vel inuito tergiuersatore aduersario) de rebus grauißimis hac Responsione (arreptis occasionibus,) disputantur. Præcipuè, de suprematûs Regij in re Religionis fundamentis, & limitibus: de vtriusque etiam Potestatis (Politicæ & Ecclesiasticæ) comparatione, dignitate, fine: de efficaciâ excommunica-

nica-

nicationis Ecclesiasticæ: de Dispensationibus Papalibus: de studijs Iesuiticis: deq; horrendis, contra pacem & salutem publicam, dogmatibus Pontificijs.

Nec minus (credo) in hisce rebus (quæ iam vbique in lucem ab Apologiâ & Monitione Regis Serenissimi accensam, magis & magis veniunt,) res agi videbitur Regum, & Regnorum quàm aut in ferendis legibus, aut in feriendis fœderibus, aut in armorum apparatu, & delectu militum. Etiam, si amantium communia sunt omnia, & Paternam causam (Princeps illustrissime) oportet esse Tuam. Tibi ergo militamus: & eâdem operâ carissimis Tibi, Patri, Ecclesiæ, Patriæ, Veritati, Deo. Horum vt Celsitudini Tuæ, generosissimis in præcordijs, innatus amor æternùm viget: ita & nobis Tui. In pignus, ab vno de multis, accipe & hæc fidelis studij monimenta: Tibi adiudicata, per Te etiam iudicanda.

Potes enim (nam te quoque famâ accepimus)

pimus) vel abstrusiora indicare. Nec ita vnquam placuit Celsitudini Tuæ, ætate adhuc herbescente, ad summas res agendas (quibus natus es) & ad bellum æquè, & pacem gerendam exerceri: vt non & omnia sacrosanctæ Religionis mysteria, à teneris intellecta, amplexus semper summâ veneratione fueris: & in ceteris interim nostris studijs neque hospes, neque peregrinus esse volueris. Sic quoque & Chironis antiqui Schola heroicas indoles humanioribus literis temperasse dicitur: & Alexandrum Magnum pater, ipse etiam bello & prudentiâ magnus, Scholasticis studijs innutriri voluit. Quibus etiam vt vlteriùs quandoque vaces, (nam omnino, aut aßiduè, haud decet) Diuina Te (illustrissime Princeps) & secundum eam paterna cura defensum dabit: & magna inter præmia ducet. *Ab illo etiam hæc nostra Theologica, sed & omnia digna tanto Principe*, virtutem *inprimis disces*, verosque labores. *Absit hinc illud*, fortu-

nam

nam ex alijs. *Idem vbique felici felix præbeat auspicium : qui dedit & intus indolem, & institutionem, & exemplum domi.*

Tu facito, mox cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor: & Te animo repetentem exempla Tuorum,
Et Pater ante omnes, & Auunculus excitet ingens.

Sic Pater Omnipotens iubeat: vt spem omnem, quam de Tuâ Celsitudine maximam concepimus, virtute, & fauore cœlesti superes: vt non minus Te filio, quàm vndiquaque, Pater optimus felix prædicetur: & Alma, quæ Paternis de Te, tam caro capite, respondet curis, & amore exæquat amorem, *ex æquo gaudijs respondeat:* & prole felix Mater, & Coniux viro.

EXCELLENTISSIMAE
Celsitudini Tuæ

Seruus submississsimus

Robertus Burhillus.



LECTORI.

NE libellulum Becanianum desideres, scias vim sententiarum hic vbique fideliter expressam: & plerumque ipsius verbis: nec omissum quicquam in rebus. otiosa enim nonnunquam, & prolixa hominis negligentissimi transcribere piguit. In notandis paginarum numeris, in Torto, sequimur editionem Coloniensem, Anni 1608. in Tortura, Londinensem, Anni 1609.

De ordine & summa huius Responsionis, etsi ex initijs singulorum capitum intelligas, habe quæ sequuntur.

CAP.

CAP. 3.

Ad obiecta de conuitijs.

k Pag 25. l 28. m 31.

1. [k] De suis â Becano turpiter neglectis. 2. Quæ obijcit pro conuitijs, nec in conuitijs [l] nec omnino in falsis numeranda. 3. [m] veræ contumeliæ apud Becanum non paucæ indicantur.

CAP. 4.

Ad catalogum quindecim Paradoxorum.

n 33. o 36. &c.

1. [n] Docetur ne vnum quidem eorum, quæ pro Paradoxis obijcit, vel si falsum esset, rectè dici Paradoxum. 2. Ex absurdis Becanî præsumptionibus ter quindecim [o] recensentur.

CAP. 5.

Ad obiectionem Paradoxi primi, De Puritanis ingenuè iurantibus in Primatum Regium.

p 41. q 42. & se. r 50. & seq.

1. Post notatum [p] de hoc nomine &c. agitur de [q] quatuor argumentis ex quadruplici Regis testimonio. 2. de [r] sex ineptissimis præsumptionibus in argumento quinto.

CAP. 6.

Ad obiectionem Paradoxi secundi, De Primatu Regio ex iure Noui testamenti.

s 54. t 55. & 56. u 57. & seq. x 59.

1. De [s] vitio recitationis: 2. de Diuisione Iuris [t] bis incauta: 3 De tribus argumentis [u] ineptissimis: 4. De [x] sen-tententia nostra.

CAP. 7.

Ad obiectionem Paradoxi tertij, De confessa potestate Regum Israel in re religionis.

y 61. & seq. z 63. a 63. & seq. b 67.

1. Post notatum, [y] hanc sententiam doctoribus, & principijs Pontificijs consonam esse, indicatur Becaniana [z] deprauatio sententiæ Episcopalis: 2. de [a] Bellarmini hæsitatione: 3. [b] vlterius de deprauatione sententiæ Episcopi.

CAP. 8.

Ad obiectionem Paradoxi quarti, de Rege Pastore ouium Christi.

c 68. & seq.

1. Quod Petro dictum *pasce*, &c. [c] non statim eodem sensu omnibus Pastoribus ouium Christi competit. 2. Decu-

tiuntur

CAP.

CAP. 13.

Ad obiectionem Paradoxi noni, De Potestate excommunicandi, quibus data immediatè.

e 127. 1. [e] Notatur vanitas aduersarij, & in recitando iniquitas:
f 129. g 131. 2. De duobus absurdis [f] neutrum sequi: 3. [g] quomodo & Ecclesiæ, & Apostolis immediatè data Iurisdictio Ecclesiastica.
h 133. & seq. 4. Tertium absurdum malè colligi: vbi [h] quomodo, & quousque Rex subijciatur censuræ Ecclesiasticæ.

CAP. 14.

Ad obiectionem Paradoxi decimi, De Prophetia Apocalypsis clarâ iam, & consummatâ.

Fallaciæ quàm plurimæ in corrumpenda Episcopi sententia
i 138. & seq. [i] indicantur.

CAP. 15.

Ad obiectionem Paradoxi vndecimi, De parte Pauli Quinti non magis illustri, quàm qui cum Rege Iacobo sentiunt.

k 142. 1. Quod carpit de Principum consensu [k] quomodo intel-
l 143. ligendum: 2. Catholicè consentire etiam illos rectè [l] dici,
m 145. & seq. qui in nonnullis maioris momenti dissentiunt. vbi etiam [m] dissensus Pontificiorum de Primatu, & de Regum depositione.
n 148. 3. [n] De iniuria in sacras Scripturas per scurriles ablusiones:
o 149. 4. [o] De insinuationibus Iesuiticis. 5. [p] De Ecclesijs per
p 150 & seq. totum orbem extra caulam Pontificis. 6. De [q] maledicen-
q 156. tia, & [r] inepta festinatione ad comparationes dignitatum. 7.
r 157. [s] De decem Regibus, Apoca. 17.
s 160

CAP. 16.

Ad obiectionem Paradoxi duodecimi, De impedimento tolerationis Papismi, respectu Iuramenti Regij.

t 162. & seq. 1. Post [t] notata recitationis vitia, & minas Pontificiorum:
u 168. & seq. [u] diluuntur duo misera argumẽta: vbi etiam de Pactis iniquis
x 171. & tamen ratis: 2. De causa [x] cur necesse Becano fingere sibi
y ibid. quod oppugnet. 3. [y] De asinina calcitratione in Regem.

CAP. 17.

Ad obiectionem Paradoxi decimi tertij, de Bellarmino votifrago.

1. [z] De

Ecclesiæ,

Ecclesiæ, vel vniuersalis, vel particularis.

CAP. 24.

Diluitur Argumentum quartum, à falsa suppositione, quasi simpliciter dixisset nullum mortalem posse esse Vicarium immortali.

p 251. q 253. & seq. r 257. & seq. 1. [p] Notatur animus Iesuiticus: 2. [q] explicatur locus in Tortura Torti, vnde hoc Argumentum petitur. 3. [r] deprauationes sententiæ Episcopi, ad argumentum hoc constituendum, plurimæ & grauissimæ indicantur.

CAP. 25.

s 264. [s] *Diluitur Argumentum quintum, ab imperfecta enumeratione causarum, vnde Regibus Primatus Ecclesiæ debeatur.*

CAP. 26.

t 268. [t] *Diluitur Argumentum sextum, vbi supponitur genus retro commeare cum specie.*

CAP. 27.

De Responsione Becaniana ad Argumentum vnicum, quod ait in Tortura haberi pro Primatu Regis.

u 271. x 274. y 278. z 279. a 287. b 289. 1. Post notatas [u] complures halucinationes, [x] docetur vim Argumenti insigniter ab eo corrumpi: 2. De [y] Mose & [z] Iosua ineptissimè ab eo responderi: 3 De tribus Regibus Gentilibus, & [a] petulanter in Regem Iacobum, & [b] stupidè.

CAP. 28.

c 290. *Ad [c] Epilogum, & Appendicem de comparatione Regis & Pontificis.*

d 291. e 293. f 297. Vbi post [d] notatas ineptias, respondetur sigillatim ad nouendecem testimonia, [e] partim ex scripturis, [f] partim ex scriptoribus Ecclesiasticis.

RESPON-



RESPONSIONIS
Contra Martinvm Becanvm Pro Tortvra Torti.

Cap. I.

Martino Becano Iesuitæ Moguntino sanam mentem.



Qvænam te mala mens, (misellè Becane) egit præcipitem, vt in causâ nobilissimâ, duobꝰ talibꝰ, Regi, & Episcopo, vnum te opponeres, hominem neq; neruorum, neq; industriæ? *Quid vis? omnibus esse notus optas? eris: quandoquidem hoc ineptus ambis.* Ex causâ, & ex vtroq; quem petis, *assequêre nomen, cum longâ tibi qualecunque pœnâ.* Quod enim etiam ad hunc libellulum tuum, quem inscribis *Refutationem Torturæ Torti*, iusta responsio instituatur: delatum scias, non tibi, sed Auctori, & Operi, quibus obtrectas. Horum vtriusq;, doctis & pijs carissimi, meritis, & dignitati causæ tribues, quod nugatorem seriâ refutatione honestare maluerim, quàm vexatum & illusum dimittere. Hæsitatum, ne nescias, an omnino dignanda responsio: tandem obti-

nuit consilium, *responde, ne solus sibi sapere videatur.*

Dabitur tamen à me tibi, & largè dabitur, quicquid aduersarijs bonæ fidei dari solet. Quæ tua non sunt, non imputabo: quæ sunt, nec deprauabo recitando, nec dissimulabo prætereundo. Fumos & imagines (id est, inanitates Sophismatum) non venditabo pro cibis. Dubia & inconcessa, non mendicabo pro confessis. Memineio, non modò agi contra eum, qui multa in scribendo peccauit causæ vitio, & plura suo: sed & me quoq; qui contrà ago, omnibus humanis miserijs obnoxium esse. Pro hac, omni æquitate dicam quid expectem: vt iudicia iam facta domo deferas: vt nihil attendas diligenter, aut ad extremum: vt siquid ratio labefactabit, repugnes per pertinaciam: vt siquid responderis, grauiora quæq; vel transilias, vel primoribus modò labris degustes: leuiora carpas saltuatim: & huiusmodi velitationem pro pugnâ, pro victoriâ habeas. *Non vlla* Sophistæ Loyolidæ *noua mi facies, inopinaue surget: omnia præcepi, & mecum dudum ipse peregi.* Interim, quantum poteris per fastum, cognosce qualem nobis *Torturæ Torti refutationem* dederis.

Priusquam ad singula aggredior, dicendum vniuersim de latâ culpâ omissionum, & declinationum à totâ controuersiâ primariâ.

§. 2. *Propter Iuramentum fidelitatis omnem hanc controuersiam natam* [a] *agnoscis.* Formulam huius iuramenti habes apud [b] Tortum. Summa est, de fidelitate

a *Contra regem, pag. 11.*
b *In priore Breui Pauli quinti: vide etiam apud ipsum Becanum in quæstionibus Miscellaneis pag. 78. vbi ad verbum recitatur loco satis alieno.*

delitate & obedientiâ, quę in rebus ciuilib⁹, vel inuito & reclamante Pontifice, præstetur erga Regē. Hoc iuramentum, vt scis, [c] anno 1606. Catholicis vestris Anglicanis propositum, || pòst non multò, publicè approbauit Archipresbyter Blackwellus: Archipresbyteri approbationem *Paulus* quintus, & *Bellarminus* Cardinalis palàm improbant; vtrique respondet Apologia, *Tortus* Apologiæ, *Tortura* Torto, tu *Torturæ*. Ita non magis cæteris, quàm tibi, de hoc iuramento videndum fuerat. Dic iam de eo, nisi semel in Prolegomenis, vbi apud te verbum vllum? vbi mentio? vbi quicquam vnde suspicari possit acutus lector, oppugnandum tibi fuisse aliquē patronū huius iuramenti? Bipartita huius iuramenti defensio, duobus capitibus tota comprehenditur: alterum, De consilio legislatorum, *legem quæ hoc iuramentū sanxit, occasione iustâ & circumspectione periculorum necessariâ, latam fuisse*: alterum, de ipso iuramento, *nihil in eo contra aut fidem, aut veritatem statui*: Hæ duæ partes, hæc summa defensionis nostræ capita. Ad caput de consilio legislatorum, exceptio apud *Tortum* quadruplex.

c *Circa mensem Iulium.*

|| *Cum nondum in custodiam datus fuerat.*

1. [d] *Ad securitatem regiam potiùs toleranda Romana religio, quàm huiusmodi aliquod iuramentum proponendum.*

2. [e] *Nihil egit Clemens* 8. [f] *nihil Iesuitæ, ne Garnettus quidem ipse (& vt qui sigillo confessionis excusetur) quicquā egit,* [h] *nec omnino in fundamentis doctrinæ Pontificiorum quicquam, vnde aut coniuratores puluerarij in scelere animarentur, aut Regi satis idonea causa esset, cur vel hanc, vel alias* [i] *tam seueras leges contra Pontificios sanciret.*

d *Tortus pa.* 21. *Tortur.* 79.

e *Tortus* 27. 55 109. *Tortur.* 97. 188 279.

f *Tortus* 78. 113. 130. *Tortur.* 128. 280. 327.

g *Tortus* 112. *Tortur.* 292.

h *Tortus* 77. 130. 246. *Tortur.* 226. 327. 383.

i *Tortus* 34. *Tortur.* 111.

k Tortus 32.27 130. Tortur. 82.130. 146.

3. *Coniuratio pulueris Tormentarij inita* [k] *præcipuè quidem ex desperatione, & impatientia iniuriarum, ac legum :* [l] *partim verò etiam quod Rex, eorum spem de religione liberè habendâ, quam* (vt iste calumniatur) *aliquando fouere visus fuerat, tandem frustraretur.*

l Tortus 22. Tortur. 189.

m Tortus 84.98 Tortur. 239. 259.

4. [m] *Principibus Christianis nulla vnquam fuit causa sibi timendi, aut hoc pacto cauendi à Pontifice Romano.*

Hæc summa exceptionum contra caput de consilio legislatorum: ad singulas (vt scis) in Tortura refutatio locupletissima. Testificationes, indicia, chirographa, res manifestas defert: quid tu interim refutator huius Torturæ? mutus es, elinguis ad omnia. Quidni enim obmutescceres in tantâ luce criminum? aut quorsum tam fœda, tam deformia defenderes? caput quateret lector, frontem contraheret, aures obstrueret auditor, semilecta lector abijceret: quæ sanare non poteras, exulcerare noluisti: ignoscamus verecundiæ. Sed in hoc capite toto, quantò fuisti negligentior, tantò fortè in altero diligentior. Nec facile enim creditu, totius refutationem professum, ad vtramq; disputationis partem alto silentio respondisse: & omisso corpore, quasi tineam in veste, aut in fimbria cimicem hæsisse.

§. 3. Quæ ergo de hac parte alterâ (vbi de ipso iuramento quæritur, vtrum in eo quicquam aut falsum aut contra fidem) de hac parte, de hoc capite,

n Tortus pag. 15

quæ summa reprehensionis apud Tortum? [n] vno syllogismo tota comprehenditur. Audiamus syllogismum.

Papa

Papa Romanus habet spiritualem Primatum in Ecclesiam: & hoc credere, de fide Catholicâ est.

At in iuramento negatur Papæ primatus spiritualis in Ecclesiam: Ergo in eodem aliquid est, quod non modò falsum, sed etiam contra fidem Catholicam est.

Quid ad hæc Episcopus? Maiorem, || etsi falsam esse docet, condonat tamen, quanta quanta est: liberat te labore longo, perplexo, difficili: supponi [o] clamat in hac controuersiâ, & quasi dari vobis, non modò priorem maioris propositionis clausulam, sed & alteram, quæ longè minore probabilitatis, aut antiquitatis specie nititur: minore modò constitutâ, dedet manus, victus fatebitur: minore solâ constitutâ quod cupitis, vt à Catholicis vestris iuramentum istud ne exigatur, satis intelligitis fore, vt [p] per Regis optimi clementiam auferatis. Quid tu hic contrà? non accipis quod largitur: probabis Maiorem, etsi nihil sit necesse: vis lectorem videre (vt alicubi de *Torto* Episcopus noster) *cupressum quàm eleganter pingas*: quod, etsi falsum sit, tamen dam⁹, ne ad aliena excurrerem⁹: id tu probare statuisti, *quia habebas in aduersarijs ad hanc rem nonnulla*: proba igitur, quando ita vis ([q] *licet enim vnicuique contemnere ea, quæ pro se introducta sunt*) Sed quomodò hanc maiorem propositionem probas? Imò verò, non probabis totam: nihil dices de posteriore clausulâ illâ difficiliore, quâ asseritur, Papæ primatus de fide Catholicâ esse: de scalâ per quam necesse est hunc primatum à Christo ad *Paulum* quintum descendere, ita longâ, ita infidis gradibus,

|| *Nota de hac quæstione (vtpote alieniore) in Torturâ Torti ideo tantū disputari (vt alicubi profitetur Episc.) ne dicant non responsum ad singula.*

o Pag. 56. 91. 142. 168. 205.

p *Qui ideo ex formulâ iuramenti expunxit clausulam, quâ negaretur Papæ potestas Regis excōmunicandi: vide præfation. monitoriam editionis Londin: pag. 11 & 12. vide ibidem de scopo iuramenti ad distinguendū inter duo genera Papistarū, quorum vtrunq; genus primatum Papæ in Ecclesiā vniuersalē mordicus obtinet. de qua re etiam in Torturâ sæpe.*

q *Iulianus Digest. l. 4. tit. 6.*

gradibus, vt de fide esse nullo modo possit (de quá Episcopus [q] semel breuiter, [r] iterum exquisitissimè) de hâc scalâ nihil regeres: de conatu trium Paparum fundandi primatum super canones *Nicenos*, quasi desperato scripturarum testimonio (quanquam hunc eorum irritum conatum [s] vrget Episcopus) nihil respondebis. Nihil de testimonio *Gregorij*, vtrùm dignitatem sedis suæ ad *caput fidei*, [t] vt *Tortus*, an ad *canonum auctoritatem* referat, vt [u] Episcopus noster contendit. Nihil ad hæc: nihil ad cætera huius loci, quibus vel argumenta *Torti*, vt primatũ hunc de fide esse statuat, in Torturâ repellũtur: vel responsiones dissipantur. Sit ita, qui poteras de maiore propositione prorsus siluisse, impunè habeas, quòd de eiusdem alterâ clausulâ nihil dixeris.

q Pag. 18. 233
r Pag. 233.
s Pag. 11.
t Pag. 134.
u Pag. 330.

§. 4. Quid ergo de hac maiore dices? an priorem saltem clausulam, quâ asseritur, *Papam habere primatum spiritualem Ecclesiæ*, confirmabis? Imò verò hoc tantum onus in te non sumes, vt directâ aliquâ disputatione hoc inferas: satis hoc certum ex libris *Bellarmini* de Pontifice: tibi tantùm contra primatum Regium disputatio erit. At hoc certè etiam adhuc remotius à scopo. Detur enim, penes Regem non esse primatum Ecclesiæ: an ergo necesse penes Papam esse? quàm sit hoc inconsequens, habes in [x] Torturâ: habes etiam apud *Bellarminum* libro 1. de Pontifice: vbi, præter primatũ Regium, etiam Aristocraticam Episcoporum, & Democraticam plebis Hierarchiam euertendã agnoscit, priusquam Papalem constituat. Quid verò iam, si *Constantinopolitani* illi reuiuiscerent Patriarchæ, qui cum Pontificibus vestris de primatu contendê-

x Pag. 69. & 90.

tendêrunt? an & hij primatũ Papæ *Romani* satis à te constitutum faterentur, si eum modò regibus admisses? Atqui, si *Tortum*, id est, *Bellarminum*, audis, non ex eo quòd Regis primatus sit contra fidẽ, sed ex eo quòd Papæ primatus sit de fide, laborandum tibi fuerat, vt iustam iuramenti reprehensionem dares: nimis enim dura prouincia, si hoc modo disputaretis, in Assumptione probandâ incumberet: cum faciliùs multò probetur primatum Papalem hoc iuramento abnegari, quàm Regium affirmari.

At habes, inquies, etiam ad primatum Papalem directè: habes quidem: sed ita pauxillum vt vix cogitari possit minus. Totum quicquid est, in Paradoxum nonum insumis: vbi *de clauibus, cui datæ*: nisi forté *de bicipite Ecclesiâ* ad Paradoxum sextum, paululum mutuabere: quanquam ibi quidem nihil concludis, nisi contra primatum Regium. Nam quòd in Appendice, aliqua huc videantur pertinere, plane instar nihili esse debet: vbi quæ afferuntur protrita testimonia, incondita, indigesta, sine applicationis, sine explicationis firmamentis, promiscuè & tumultuariè congeruntur. Vbi autem apud te quicquam ad illa insigniora quæ ab Episcopo (postquam per *Torti* declinationes & scopi translationes huc defertur) contra primatum hunc Papalem egregiè differuntur? Ne omnia enumerem: [y] quo sensu titulum *Episcopi vniuersalis*, & y Pag.330. &
capitis Ecclesiæ, aut *Gregorius Magnus* damnârit, aut 258.
Constantinopolitanus arrogârit: [z] quo sensu patres z. Pag.344.
Chalcedonenses, *Constantinopolitano* cum *Romano Pontifice*, ἴσα πρεσβεῖα, aut εἰς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι ἐν τοῖς ἐκκλησι-

a *Tortura* 343
b *Tortus* 136.
c Pag. 344.
d *Epistola ad Archipresbyterum.*
e Pag. 169.
f Pag 47.
g *Tortura pag.* 162. & 346. *Tortus pag.* 46. & 138.

ἀστικοῖς φθέγμασι concesserint : [a] vtrum rectè negârit [b] *Tortus*, *Constantinopolitanum* Patriarcham cum Episcopo *Romano* de primatu contendisse : [c] vtrum rectè [d] *Bellarminus* ex Leonis sententiâ, primatum spirituale͂ Pontifici vestro asserat : [e] vtrum eundem rectè [f] *Tortus* ex testimonijs *Athanasij*, *Osij*, *Ambrosij*, *Martini Turonensis*, *Augustini*, *Gelasij*, *Gregorij*, *Valentiniani senioris*, *Theodosij iunioris*, *Basilij Imperatoris*, & *Theodorici Gotti*. [g] Vtrum denique de Imperiali auctoritate conuocādi synodos, satisfecerint *Torti* responsiones vel potiùs effugia. Hæc, & quæ huiusmodi plura apud Episcopum diligentissimum, postquam semel statueras, cæteris posthabitis, ad primatum Ecclesiæ disputationem diuertere, digna sanè fuerant, quibus doctor Theologiæ, Professor ordinarius, &, quod caput est, Iesuita (id est Papæ addictitius) ante omnia vacares : sed muscæ non vacat ad aquilas. Et quoniam vt dixi iam ab initio, liberaliter dedimus, vt totum hoc quod de primatu in maiore propositione affirmatur, ἀναπόδεικτον & sine probatione supponeres, non dubitabas, quin eadem liberalitate indulturi etiam essemus, vt si Regium primatum euerteres, Papalem erexisse videare.

Quid igitur? an quæ ad definitionem Primatus Regij stylo scripturarū ἐμφατικώτατα, aut de exemplis regum Israel, aut aliàs contra *Tortum* pro primatu Regio in Tortura habentur, directâ refutatione oppugnabis? Imò verò hac obsoletâ, tritâ, populari & regiâ viâ non incedes: aliam rationem ingrediere arduam, tibi propriam, plenam ingenij, acuminis, gloriæ : ex ipsius aduersarij pennis alatas sagittas

gittas tibi comparabis: his ipſum, vt dicitur οἰκείοις πτερύγεσσι, conficies: ſtultus Ariſtoteles in prioribus Analyticis, qui directas argumentationes, huiuſmodi ‖ reuerberationibus ex abſurdo ſeu incommodo petitis, anteponat: quaſi in inſidijs poſitus obſeruabis, ſiquid aduerſario aliud agenti forte exciderit incauto, quod in ipſum repercutias: hoc, quaſi agnam erraticam lupus, arripies: ſic ſemper inſtructus inuolabis. Nec ſolum ſex illa argumenta apud te hoc ex profeſſo facient: ſed & reliqua omnis diſputatio eandem inſiſtet viam. Niſi quod ad vnum quidem argumentum, quod pro primatu regio videtur afferri, reſpondebis forte aliquid directè.

‖ *Quæ vulgo dicuntur ab impoſſibili.*

§. 5. Hæc cum ita ad prædicti ſyllogiſmi maiorem tibi (vt liberet) vel omittendi, vel nugandi licentiam indulſimus: eâ tamen, (ne neſcias) conditione ac lege fecimus, vt tandem ad minorem de quâ tota lis, omiſſis ſubterfugijs, ſeriò deſcenderes: hîc vt ſcis miſerrimè laborat Tortus tuus, hîc opem tuam, hîc fidem implorat. Apage te verò, inquis, cum minore hâc ægrotâ, deploratâ, depoſitâ: cui ne Aeſculapius quidem ipſe medeatur: vel tacens ipſo ſilentio ſic loqueris (eſt enim etiam loquax ſilentium) *ſtat contra ratio, inq; aurem tibi gannit vtramq;.* [h] Teſtantur legiſlatores conſilium ſuæ legis, [i] teſtatur Rex in legiſlatione princeps, teſtantur etiam ipſa iuramenti verba, quibus & Authentica regis interpetatio ſæpe repetita atteſtatur, nihil aliud hoc iuramentum eſſe, niſi *ſanctam & ingenuam profeſſionem conſtantis erga regem obedientiæ & fidelitatis, quæ ei in rebus ciuilibus, vel inuito mortali quocunq;, etiam Papâ reclamante præſtetur.* Et quid hoc

h *Tortur. p. 88*
i *Præf. p. 12.*

hoc contra primatum Apostolicum & spiritualem? Quę sola vllius probabilitatis refugia Torti [k] duo fuerant, alterum de ligandi, alterū de soluendi potestate in iuramento abnegatâ, [l] vtrumq; Tortura nimis euidenter confutat: vt iam luce clarius sit, neque ligandi aut excōmunicandi Regis potestatem Pontifici negari, cùm negatur potestas deponendi Regem excōmunicatum: neq; soluendi fideles eidem potestatem negari, cùm negatur potestas absoluendi subditos à fidelitate aut fidelitatis iuramento. Nec obscurum, quin cætera pro infelici hac minore propositione apud Tortum argumenta, vel repetere, refutare sit: & tamen hæc quoq; eadem Tortura responsione iustâ dissipare dignatur: quid enim inepti⁹? [m] *Titulus Regis est ad detegendos & reprimendos Papistas: ergo propositum iuramenti abnegatio Papismi:* [n] *scopus vt non tam altè bibant de poculis Antichristi: ergo hîc prohibentur etiam altè & non omnino bibere.* [o] *Est aliud iuramentū apud Anglos, quo primatus Papæ negatur, ergo hoc quoq; idem primatus negatur.* Nihilne hîc auxilio tuo opus habuit Tortus, qui ad ista tam putida confugere necesse habuit? egregia vero fundamenta martyrij. Conuitiatur iam tibi (ne dubites) Tort⁹ tuus qui eum sic deserueris. Caligulam te vocat, cui⁹ apud Suetonium expeditionem in Germaniam habes, quo tumultu suscepta, quo sonitu: cum ventum erat in fines hostium, vt in eos quidem nihil attentârit: in conchis modò cochleisq; ad oceani littora legendis militem exercuerit: triumphârit tamen Romę, captiuis ad triumphum conductis. *In ius ô fallax atq; inficiator eamus:* qui tot & tanta pollicitus, nihil præstes ad propo-

k *Tortus pag. 119. & 17.*

l *De potestate ligandi id est excommunicandi pa. 38. & seq. de potestate soluendi 53. & seq.*

m *Tortus pag 15. & 23. Tortur. 13. & 87.*

n *Tortus 20. Tortura. 73.*

o *Tortus 19. & 23. Tortura 71.*

propositum. In visceribus causæ versatur quē te re-
futaturum promittis, conuellit Præsidia, arcē petit,
fulminat in medijs, summasq; minatur deiecturū arces
Italûm, exscidioq; daturum: Tu currum interea deser-
to in gramine versans, palantes sequeris paucos : alicu-
bi quasi canis ad Nilum, bibis & fugis : sed canis ip-
so domino somnolentior : ὦ λαμπυρὶ κύων, ὕπνῳ βαθὺς ὑπνώ-
ἐχει τὸ ; οὐ χρὴ κοιμᾶσθαι κύνα χαλκιόποδα ἀγροίκου. Vt hirundo
Virgiliana intrare non ausa, *circumuolat ædes : pa-*
bula parua legens, nidisq; loquacibus escam : & nunc
porticibus vacuis, nunc humida circum stagna sonat :
talis quasi circumuolitas obstreperus, nec consistis
vsquam, aut congrederis comminus. Quid enim fa-
ceres infœlix? clara res, potestatem Reges deponen-
di, neq; caput esse, neq; caudam primatus spiritua-
lis : neq; partem vllam natiuam, aut consequens ne-
cessarium : sed strumam modò non ità pridem ad-
natam: & tamen in sententiâ contrariâ omnis vestra
defensio. Quid igitur restat rebus tam egenis?
cum iam neq; obniti euidenti vero, neq; tendere
contrà sufficias: id agas non vt respondeas, sed vt ne
videatur necesse respondere. Quod sæpe faciūt ve-
stri periti vincendi artifices, qui nobis odioso nomi-
ne Sophistę dicuntur : quod defendi aut probari
nullâ arte potest, pro indubitato præsumas, & taci-
tum transeas: leui tantum inuersione opus, & expe-
dita omnia : maiorem syllogismi vestri, in hac totâ
controuersiâ, non quidem concedimus, sed suppo-
nimus: minorem autem pernegamus: tu contra, mi-
norem supponi pręsumas, negari maiorē: & quidni
statim plenis velis in portum primatus Papalis de-
uehare?

§. 6. Scitum

§. 6. Scitum stratagema: *non dabitur regnis (esto) prohibere Britannis: at trahere, atq; moras magnis licet addere rebus*, regna ad arbitriũ Papæ transferre non potes: at scopũ de regnis ad arbitriũ Papæ trãsferendis ad tuum arbitrium transtulisti: *dicite iô pæan, & iô bis dicite pæan: maxima res transacta tibi, timor omnis abesto: quod superest: hæc sunt spolia & de rege potente exuviæ.* Vicisti egregiè: postquam iam à rebus inuidiosis & deformibus, ad rem non paulo plausibiliorem; à dogmate in Ecclesia diu inaudito, cui postquam serò extitit, nunquam iustâ auctoritate assensũ, semper publicâ reclamatione restitum est, ad aliud aliquantò cautius & approbatius, disputationẽ auocâsti. Atq; hinc etiam futurũ acutè præuideras (quanquam Bellarminus in Epistolâ & deinde in Torto, exemplo te suo docuit) vt si quidẽ indignantes ad aliena digredi, nihil ad tua responderemus, apud vestros omnes vero victi videremur: sin autem responderemus, saltem dimissis nostris præsidijs, in vestris castris versaremur. Nec dubitabas quin vt herbæ subnascentes præoccupant frumenti locum & alimentum: ita etiam in istis digressionibus foret, vt aduentitia & aliena passim inculcata, primæ nostræ defensioni plurimum officerent. Ad hæc obliuisci non poteras, nostros libros interdictos vestris hominibus, etiam doctioribus. vestros autem si sine nostris leguntur, impune posse quiduis presumere. Sed & titulos modò vestros pleriq; vestri fautores legunt: quorum & ad alios fama ingens allabitur: audiunt sonitum *Refutationis Apologiæ, & Præfationis monitoriæ serenissimi regis Angliæ*: etiam sonitum *Refutationis*

Torturæ

Tortura Torti: hoc ſatis ad pertinaciam infelicibus, ſatis ad iactantiam.

Vane Ligus, nequicquam animis elate ſuperbis : nequicquam patrias tentâſti futilis artes. Quid enim ſi apud ſtultiores conſilio huic veſtro ita ſucceſſerit, vt qui fugitis inſequi, qui tergiuerſamini vincere videamini? At apud ſapientiores tam veſtros quã noſtros, tergiuerſator non minus cauſę ſuę officit quàm pręvaricator, ‖ conſentire enim & admittere videtur qui tum tacet, cum ſuſpicioſum eſt ſilentiũ: quiq; ad appendicem modò quandam diſputationis opponis quod potes, ſatis indicas quid ſit, quod profeſſus integrę refutationem, ad maxima quæq; obmuteſcas. Talem det Prętor aduerſario ſemper meo patronum : deinde mihi nullum dederit. Apud rhetores (p qui & olim dicebantur, & plerumq; ſunt Sophiſtę) in magna calliditate præcipiatur, ὁρᾶν εἴ τι ἁμαρτάνει ἔξω τοῦ πράγματος· τεκμήριον γὰρ καὶ τὴν δίκην, ὅτι ἁμαρτάνει (quanquam & apud rhetores ipſos plerumq; in vitio eſt τὸ δίκας κολάσεις ποιεῖν.) Apud nos Theologos certè ridicula hęc artificia. Poëta *quæ deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquat* : etiã liberè & palã hoc faciat: finis enim, non vt perſuadeat, ſed vt ludat & delectet. Orator etiam aliquando, vt poëtę finitimus, q moleſto difficiliq; loco nihil reſpondeat : incurabile vlcus ne attrectet: finis enim, non vt doceat ſed vt perſuadeat: ſed & caute hoc faciat, & rarò, & ſi vnquam, hic putet *artis eſſe celare artem*. Finis enim, non vt ludat, neque vt delectet, ſed vt perſuadeat. Tu verò hoc in Theologia, vbi omnia ad veritatem & ad doctrinam: nec tamen cautè aut raro, ſed palam & per totum facis : vt non iam do-

ctor

‖ *Becanus in quæſtionibus Miſcellaneis pag. 91. de hæreſi (inquit) ſiles & ſilendo conſentis.*

p *Differentiam Ariſtoteles rhetor. 1. c. 1. per tenuem facit Rhetoricæ & Sophiſticæ : vt facultas eadẽ ſit & non quidem ſemper, ſed ſæpe etiam actio eadem : quæ cum bonus dolus eſt (id eſt ad finem bonũ) rhetorica ſit : Sophiſtica autem, cum malus dolus.*

q *Cicero de orat. lib. 2.*

ctor Theologiæ, & Professor ordinarius dicendus sis, aut omnino Theologus, sed nec Rhetor quidem, nec Sophista, nisi miserabilis: Poëta fortè non malus.

CAP. II.

De vtraq; Inscriptione & alijs Prolegomenis.



Rior inscriptio, qua libellulus hic tuus *Refutatio Torturæ Torti* nominatur, quàm sit apud stultos quidem veteratoria, apud cæteros autem stulta, impudens, & causæ tuę incommoda, satis iam dixi. Sed & habet arrogantię non parum: vtrum enim refutâris, aut viceris, aliorum est iudicium, non tuum: nec de principibus viris doctrinæ Anglicanæ, tam facilem potuisse reportari victoriam, ita citò tibi persuasisses. [a] *Vtrumq;* inquis, *refutaui:* & Regium scilicet librum, & hunc Episcopi. Vtrumq; verò tuum est, & nihil agere, & gloriari: vtriusque scilicet *legiones difflauisti spiritu:* non citiùs Iesuitæ nostri disploso puluere pyrio, Regem cum Episcopis, & alijs proceribus, & ex omni ordine delectissimis quibusque, difflassent omnes: quàm tu eiusdem societatis pullus, Regem cum Episcopo refutâsti. Vidisti, legisti, neglexisti, vicisti, vtrumque vnus: quod non ausit Hercules, vnus contra duos: tu inuentus qui & ausus, & assecutus. *Achilles Moguntinus, erunt etiam altera bella, atq; iterum ad Troiam magnus mitteris Achilles.* Caue verò hac

a *In Epistola ad Archiepiscopum Moguntinum.*

hac tuá gloriâ ne & in ‖ Agamemnonem alterum incidas, qui te iratus ita habeat, ὡσεί τιν᾽ ἀτίμητον μετανάστην. Nam à Paride qui calcaneum petat, non metues: aduersum aggredietur, *haud furto melior, sed forti-bus armis.*

‖ *Refutatorem libri alterius, qui contra Apologiã Regiã & Præfationẽ monitoriam.*

§. 2 Sed cur non etiam tertium refutâsti? aut cur [b] *prodierunt*, inquis, *duo?* prodierat enim & nuper, & ex Anglia huius argumenti certè tertius (cuius te etiam [c] monitoria præfatio Regia, & [d] hæc Tortura admonuerant) liber *Georgij Blakwelli*, quẽ [e] non ita diu ante hoc tempus *Clemens* 8. Archipresbyterum Angliæ designauerat. Atq; hic quidem Romano-catholicus non minùs acriter, quàm aut Rex in Apologiâ, aut Episcop⁹ in Torturâ, tum æquitatem iuramenti nostri de fidelitate, tum falsitatẽ dogmatis vestri de potestate Reges deponendi, demonstrat, Etiam vos inter vos quasi viperarum ex semente [f] Boeotica progeniem committit: & qui inter vos nominis maximi auctores sunt, testes contra nouam hanc vestram fidem Catholicam, fide dignissimos laudat. Et poteras quidem opportunè, cum de Anglorũ libris huius argumenti qui nuper prodierant meminisses, quæstioni Regiæ etiam respondisse, cur nondum vllus vestrum neq; libro huic, neq; subiectæ eiusdem ad Catholicos vestros Epistolæ, vel verbo responderit. Noluisti credo hunc tertium agnoscere: ne διχοτομίας, quâ delectari videris, concinnitatem amitteres. Sic enim etiam ad eundem Archiepiscopum Moguntinum dedicatoriam Epistolam ordiris, *Duo potissimum sunt* (quasi verò non alia æquè multa) *quæ non minùs inuidiosè, quàm populariter obijciuntur Catholicis.*

b *Ibidem ad Arch. Mog.*

c Pag. 15.
d Pag. 137.
e Anno 1598.

f *Boeotûm in crasso iurares aëre natam.*

tholicis. Vtq; duos illos libros duobus a te editis libris refutatos; Ita duo quoq; ista, quæ dicis duobus itidē libris à te absterſa apud eundem prædicas. Nec ſingulis, ſed duobus reſcriptis, aut *Clemens* 8. *Iacobum* regem Angliâ (vt potuit) excluſit: nec ſingulis ſed duobus reſcriptis *Paulus* quintus iuramentum fidelitatis Catholicis ſuis interdixit. Duplicem Vlyſſem, omnia duplicibus agere non dedecet.

§. 3. *Vtrumq;,* || inquis, *quâ potui breuitate & modeſtiâ, vtpote Romanæ Eccleſiæ palâm repugnantem, veritatis ſtudio refutaui.* Quid iſtud vtrumque cum modeſtiâ, vtpote Romanæ Eccleſiæ repugnantem? durius credo vtrumq; & immodeſtius & prolixius refutandum putares: ſi Anglicanæ Eccleſiæ repugnâſſet, & non Romanæ. Imo vero ignoſcat ſtylo Archiepiſcopus: non ſic voluiſti: ſed refutatum ideo vtrumq; quia Romanæ Eccleſiæ repugnat vterq;: verbo dei repugnet necne, non moraris: non quærebas, nec de hoc quidē libro, nec de illo, antequam refutandū ſumpſeras, vtrum repugnaret ſententijs & vnanimi conſenſui patrum, cui tamen Bulla *Pauli* quarti vos adiurat: non deniq; vtrum exemplis, actis, concilijs antiquæ Eccleſiæ Catholicæ: ſatis ad odium, ſatis ad iuſtum bellum, quod Romanæ repugnent. *Dicet fortaſſis Nauarræus* (verba ſunt g *Creſwelli* non infimi in Ieſuitis) *Ego ſaniorem religionem induco: ſed hoc ad rem nullo modo pertinet: tenetur enim religionem Romanam defendere.* Ex ſodalis tui verbis interpretabor tua. Dicet Rex *Iacobus*, vel ſi vis Epiſcopus Elienſis, ſanioribus Eccleſijs liber meus non repugnat: abſtine igitur

|| *Epiſtolâ ad Archiep.*

g *In ſuo Philopatre.*

igitur clarissimè domine doctor stylum, quo polles, refutatorium. Adhæc tu, *sed hoc,* inquis, *nihil ad rem: debet enim, vt taceam, vt ne refutem, non repugnare Ecclesiæ Romanæ,* (adde veram & manifestam causam) * *Huic enim Romanæ Ecclesiæ, id est Papæ, stylum, sensum, linguã, operam, animã ad dixi.* Adde & demonstrationem *à priore*, vnde colligis vtrumq; librũ, vtriusq; libri dogma repugnare Ecclesiæ Romanæ: quia quicquid repugnat Papę repugnat Ecclesiæ Romanę (vt qui vnus sit instar omniũ) horum autẽ librorũ dogma, quo negatur Papæ potestas reges deponendi, non potest non repugnare Papæ.

* *Vide capite 20. de cæca Iesuitarum obedientia.*

§. 4. De *breuitate* quod dicis iam supra dedimus, sed dedimus vitio: vt enim sit quod dicitur, χάρις βαιοῖσι, non tamen breuibus nanis, aut breuibus mutilis. Nec sic oportuit breuem fuisse vt totus minor esses iusto dimidio. De modestiâ quoq; est quod minimè negamus, Modestus homo, vt quicque vidisti maius viribus tuis, declinasti: quibus argumentis te sensisti imparem, ne attentasti quidem: nunquam contra torrentem direxti brachia: nec pugnam adhibuisti vnquam, sed pugnæ similem fugam. Dauidica verecundia (si licet sic componere) corp⁹ reueritus, laciniam inuasisti. An forte ita poti⁹ modest⁹, vt antiquus ille serpens, qui principi nostræ militiæ, cui caput conterendum debuit, calcaneum subueritus appetiit. Habe hanc tibi illaudatam modestiam, & huc vsque ea qua potuisti modestiâ, id est exiguâ, vsus gloriare. Et sic quidem ea qua potuisti modestiâ vsus videbere, erga regem potentissimum, quem & inscriptione libri alterâ, *Regem sacellani sui* vocas: Nec enim temerè

illud *contra ſacellanũ, quod cauſam Regis ſui?* Qualia & illa: *ſcripſiſti librũ pro Rege tuo,* & *at Rex tuus multo aliter:* & *vide quam longe abeas à tuo Rege*, & innumera ſimilia ſingulis ferè paginis. Vix enim appellas aliter: niſi aliquoties, *Regem Angliæ:* Quanquam ex acceſſu facto Regni Scotiæ ad Anglicanum, & vno iamdiu titulo Magnæ Britanniæ enato (vt te * Tortura docuiſſet, cum Tortum huius ruſticitatis admoneret) emeritus iam pridem, & feliciter antiquatus, ille Regis Angliæ titulus, quo & orbis Chriſtiani Reges, ac principes iamdiu in cõpellando Rege Iacobo abſtinent: etſi in veſtro quidem collegio Ieſuitico, (fortè etiam Papiæ) nondum deſueuit. Sed vt * *Catholicam veram* à *Catholicâ veſtrâ* fide, alicubi Epiſcopus diſcernit: vt paraſitis olim *Reges ſuos* vſurpare ſolitum eos, quorum quadrâ viuerent, quorum nemo alijs Rex, & forte nec honore vllo: vt qui dixit * *ecce Regem veſtrum*, non ſenſit verum Regem: ita in illo tam ſolenniter apud te penè ſexcenties *Rex tuus* ex ore Ieſuitę, quorum iam pleriq; Monarchomachi, ſic ſonat, ac ſi inuitus Regem agnoſcas: quaſi huic modò Rex eſſet, aut illi; non autem diuino & humano conſenſu ſanctè & legitimè. *Eandem* etiam ruſticitatis & ſi non immodeſtię, certè inhumanitatis & inelegantiæ meretur notam, quod *Sacellanum* vulgò voces, ex eadem *ſubſcriptione vnde vix credo poteras quin intelligeres, Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopum fuiſſe: quotus enim quiſq; noſtrarum rerum, in veſtra ſocietate, ad quam de omnibus ferè rebus & hominibus rumores confluunt, ita hoſpes aut peregrinus, vt neſcierit Ciceſtrienſem Epiſcopatum,

* Pag 54.

* Pag. 327.

* *Ioh.* 19.14.

* *Epiſtola ad Regem præfixa Torturæ Torti ſic ſubſcribitur.* Sereniſſimæ maieſtati Tuæ a ſacris ab Eleemoſynis Subditus ſeruuſq; deuotiſſimus L. Ciceſtrienſis. *Vide Apologiã Bellarmini ca.6.pa.72. vbi inter Angliæ Epiſcopos mentio eſt Richardi Epiſcopi Ciceſtrenſis.*

copatum, & nomen Cicestriensis, nomen Episcopi? Sed quia Tortus *Bellarmino* à sacellis, hinc qui se Torto opposuit, Regi *à sacris* (quod de officijs sacris potius quam de locis sacris intelligitur) Sacellanus Regis tibi passim vocatur: quod quidem etsi erubescendum non sit (vnde & alibi more veterum Episcoporum dicit se Regi esse à sacellis) hic non caret iniuriâ: sic enim Sacellanum cum Sacellano, Regium cum Cardinalitio comparatis: vt non inique etiam ipsi inter se cum Rege Cardinalis comparari videantur. Vtq; *Petrum*, qui se presbyterum vocat, potius Apostolum dixeris: ita Episcopum, si se Sacellanum dixerat (nisi forte timuisses Episcopum agnoscere, qui a Papa nihil acceperat) potius pleniore dignitatis nomine appellâsses. Sed humanitatis tuæ in ære sumus, quod cum trium appellationum tibi optio esset libera, [h] *Sacellani, Eleemosynarij, Tortoris*, Sacellanum quod putas honorificentius, vsurpare malueris. Si nescis, *Regi ab Eleemonsynis esse*, honoris est & Amplitudinis: nomen Præfecti Regiis Eleemosynis: fidei in primis & pietatis munus est: quo munere viri semper melioris notæ, & illi plerumq; ex Episcopis honestati. Tibi, vt videtur Latinitatis ignaro, *ab Eleemosynis* esse intelligitur, qui (vt vestri fraterculi) stipe Eleemosynaria de die victitat: sic enim viri grauissimi auctoritati, apud imperitos derogari posse sperabas, Sophisticus verborum auceps ad despectum; quemadmodum & in illlo quod addis de Tortore, ad odium creandum. Nec enim se *Tortorem insinuat* qui librum suum vocat *Torturam*: vt neq; Reges dixit *Tortores*, qui eos dixit *torquere mero; quem*

h *Becanus p.1. Nomen tuum non prodis: sed insinuas te esse Sacellanum, Eleemosynarium, Tortorẽ. Ego quod honorificentius est sacellanum te appellabo.*

i, Dig. lib. 1. tit. de leg.

scire laborant an sit amicitia dignus. Vt enim [i] quod contra iuris rationem receptum est, iurisconsulti vetant *produci ad consequentias* : ita etiam Grammatici Metaphoras vulgari, non accuratâ, ratione fultas, ad consequentias & Analogias extendi prohibent. Nec in Metaphoris huiusmodi & homonymijs (quæ vestra Sophistarum maxima sylua est) perinde vt in synonymiis argumentum à coniugatis valet, iuxta dialecticos. Non ergo Tortorem efficies ex hac Tortura, multò minus in hac, & illud *insinuari*. Nec enim *insinuat* quisquam quod inuitus significat. Sed nec Eleemosynarium se, id est, Regi ab Eleemosynis esse *insinuat*. Nec apud nos ita imperiti *insinuatores*, vt quod *insinuant*, etiam disertè profiteantur: apud vos si sunt, vide ne quis *malè quem palpere recalcitret vndiq; tutus.* Sed hæc, cum de se significat, *nomen*, inquis, *suum non prodit* tamen: linguæ vitio sic loqueris & loquendi inscitia, an morbo animi? In malam rem cum tuis *proditionibus* & verborum inuidiâ: vestrum sit nequid *prodatur* metuere, quibus *æstuat occultis animus, semperque tacendis*. Vestrorum hominum sit & patriam & fidei commissa *prodere* : *nomen suum prodit* tandem, qui aliquandiu dissimulauerat, aut dissimulatum voluerat. Ita non quidem *prodit*, sed tamen profitetur nomen suum : & diserte in subscriptione Epistolæ ad Regem Serenissimum. Quid enim aliud illud *L. Cicestriensis*, nisi, nomen auctoris, qui tum quidem Cicestriensis Episcopus fuerat? & tamen hoc tibi in nostris hominibus non satisfacit: cui in vestris tot libri vel ementito auctorum nomine (& illi seditionũ & perduellionum incendiarij)

in pretio aut etiam in delicijs? quasi nuper ex huiusmodi consilijs dimissus, proditiones nominum (grande apud vos nefas) & solenne vestrum vera nomina dissimulandi, falsa prætendendi, somnias.

§. 5. An verò tu quidem etiam quia tam multi binomines & trinomines Iesuitæ (*Tesmundus* aliàs *Greenwellus, Hallus*, aliàs *Oldcornus, Carolus Scubanius*, aliàs *Clarus Bonarscius* : *Iohannes l'Heureux*, aliàs *Andreas-Eudæmon-Iohannes-Cidonius, Henricus Garnettus*, aliàs *Wallyus*, aliàs *Darcyus*, aliàs *Robertius*, aliàs *Farmerus*, aliàs *Philippius*, ideo fortè libentius & hunc tuum libellulum duplici inscriptione, (*Refutationis Torturæ Torti, seu contra Sacellanum Regis Angliæ quod causam Regis sui negligenter egerit*) binominem esse voluisti? an vt illa *Sappho Lesbia*. *Sum breuis, at nomen quod terras impleat omnes*, ita breuitatem libri prolixitate duplicis tituli compensandum fortè putasti? Sed nec rectè satis, *causam Regis* posterior *inscriptio* vocat. [k] Est enim primum causa Christi & Ecclesiæ, deinde Regum, Principum, & omnium penes quos suprema potestas ciuilis. In hac causâ *patronus* imprimis (quem tu ineptè quasi *reum* nominas.) Potentissimus Magnæ Britanniæ Rex *Iacobus*: *Aduocati* non erubescendi, Episcopus Eliensis quem tu *Sacellanum* vocas, Episcopus Lincolniensis, *Iohannes Donnus* in Pseudomartyre, *Petrus Du-Moulin, Georgius Blakwellus*, nuper nomine Archipresbyteri Angliç non infima apud vos dignitate insignis: Aduersarij *Paulus* 5. *Bellarmin⁹, Personius, Becanus, Coffeteus, Cappellus, Gretserus*, & quem dixi, *Eudæmon*

k *Vide responsionem ad Apologiam Bellarmini recens ab Episcopo Eliensi conscriptâ capite 2. per totum.*

mon (vel *Cacedæmon*) *Iohannes Cydonius* etiam qui pene mihi exciderat, qui primus quod sciam scripsit contra iuramentum fidelitatis, homo impurissimus, & cum stultissimis quibusq; in Iure-consultus, Ladislaus Christanouic. Ex [l] cuius exemplo & stylo odioso, Tortus (id est personatus *Bellarminus*) integram recitationem quatuordecim articulorum Edicti Anglicani [m] transcribens, vt Pontificem vno mendacio purgaret, [n] decem in vnâ recitatione integra mendacia transcripsit.

l Fol. 19. *& sequentibus.*
m Pag. 34. & 35.
n *Vide Torturam pagina* 110 *& seq.*

Sed quænam in hac inscriptione posteriore frigiditas hęc tua, quam tuorum forte aliquis perfidiam dixerit? quod qui te refutatorem profiteris, eius qui *palam repugnet Ecclesiæ Romanæ*, idem in ipsâ refutationis fronte & titulo, qui summam operis præferat, in hoc tuo aduersario non errorē, aut dogmatis falsitatem, sed solam [o] *negligentiam* demonstrandam proponeres? necdum satis præuaricatorie: statim enim in procemio, eundem etiam huius criminis, cuius hic à te solius accusatur, absoluis. Alioquin, expone mihi quid velis, cum Episcopum alloquens, *Si verba*, inquis, *spectem satis cultus ac elegans es: si laborem ac diligentiam, non culpo otium: At multa alia sunt quæ non æque probem.* Quis non hic *laborem & diligentiam*, quemadmodum & verborum cultum probari & extra culpam & quæstionem à te poni intelligat? vides quomodo litem, quam contestaris in titulo, statim in ingressu prodideris: vt iam non modo *modestiâ, quâ potuisti* (id est exiguâ) vsus videare: sed etiam fide & circumspectione, quâ potuisti, id est semper exiguâ. *Refutationem* primæ frontis nube minaris: sed

o *Verba inscriptionis posterioris*, Seu cōtra Sacellanū Regis Angliæ quòd causam sui Regis negligenter egerit.

sed hanc nubem serenas statim: cum profiteris (sic enim necesse accipi inscriptionem alteram) eam esse propositi tibi negotij metam, vt aduersarium si non falsitatis, at *negligentiæ* conuincas. Refutabo inquis Torturam, aut si mauult lector, non satis diligenter scriptam ostendam: quasi dicas, recuperabo Pontifici Britanniam Magnam, vel saltem surculum alicunde ex insulâ suffringam. Timueramus à primis tuis minis (*quis fertus hic nostris accessit moenibus hostis?*) statim timore discusso, surges risum: *parturiunt montes, mus exit*. Non petes caput causæ: non petes causam, sed personam leuiter petes, quasi cęsaris candidatus: non propones tibi de veritate dogmatis, sed de auctoris diligentiâ quærere: satis hoc inconstanter, satis leuiter: sed parum adhuc noster tibi videris: nisi quem solius negligentiæ reprehendendum modò tibi proposuisti (imprudenter scio, sed si tibi ipsi de te credimus proposuisti) in eo statim vt dixi negligentiã non culpes. *Quisquis es amissos hinc iam obliuiscere Papas, noster eris.*

§. 6. Iam & capita disputationis Episcopalis distinguis bellè. *Disputat*, inquis, *in eo libro de his tribus potissimùm capitibus: primò de iuramento fidelitatis, quod Rex exigit à subditis: secundò de primatu Regis in Ecclesiasticis rebus: tertiò de potestate Papæ.* Quæro de tertio, vtrum potestatem Papę intelligas totam spiritualem quam ei tribuitis, an illam modò vt Reges, cum iustum sibi videbitur, Regnis abdicet, quam solam in iuramento fidelitatis negari contendimus: si hoc modo intelligi vis, non distinguitur tertium tuum a primo: sin illo modo, non satis distinguitur à secundo: cum in affirmatione

 potestatis

potestatis illius Papalis, contineatur Regij primatus negatio. Vide quæ supra diximus: vbi disputationis Episcopalis distinctionem, iustis partibus, longè aliam intelligas, & eiusmodi, quã non miror si tua vel tarditas, vel supinitas non comprehendit. Sed quorsum hæc tria capita, quasi seorsim percursurus, ita accuratè per ista *primo, secũdo, tertio:* mox enim aliam methodum ingrederis de conuitijs, de paradoxis, & de primatu Regis per ipsum, qui hunc primatum defendere instituerit, euerso. Hæc si tria (in quibus, quod ex supra iam dictis intelligitur, exigua sanè pars eorum quę modò in triplici aduersarij tui disputatione agnoueras) assecutus fueris, abundè totam refutâsse videberis: siquid forte excidit tam longa in disputatione, quod aut conuitij, aut paradoxi insimulari possit, aut deniq; vel retortile sit, vel saltem inutile, cõfecta res: hoc erit totum corpus reprehendere, *si prauè sectum stomacheris ob vnguem.*

Nec dissimulare potes, aut celare artem hanc imperitus artifex. Nam & initio vt dixi postquam *Refutationem Torturæ Torti* libellulo huic tuo præscripseras, addis, *seu quod negligenter egerit*: & hic in calce procœmij, supremum atque vltimum quod *aliorum causa* in hac tua refutatione suscepisti, profiteris p vt ne temerè aduersario tuo *fidem habeant.* In personam ergo & auctoritatem personæ omnis impetus: de rebus ipsis eo vsq; ages, quousque ad personam fœdandum cogi & torqueri poterunt. Ignosci interim postulas *si modestè egeris*: quasi bi-

p *Verba Becani pag. 2 Ignosces spero, si hæc tria modestè ob oculos tibi proponam; tum tui, tum aliorum gratiâ: tui, vt teipsum agnoscas, & si fieri potest ad saniorem mentem redeas: aliorum, vt intelligant, non temerè tibi fidendũ esse, qui toties & tam enormiter, in rebus magni momenti lapsus sis.*

lem moueat modestus Iesuita: quasi cum nequam facis, officium facias: scis enim quos oporteat gnauiter esse impudentes. Nam & Gracchis irascor ad pacem ciuilem aptè verba facientibus: & Apicio ad parsimoniam: & est qui *cœlum terræ permisceat, & mare cœlo, si fur displiceat Verri, homicida Miloni*. Quòd si in eo es hominum genere, quorum personā non deceat modesta oratio (quod ego tamen non dico, sed verba tua sic ostendunt) non miror si plures putes tui similes, qui docendi sint illud γνῶθι σεαυτόν: sed cum virum qui de se sibi semper credere maluit ad modestiam, quàm voci omnium ad superbiam, in hunc numerum compingis, & eum cuius nec voculam proferre potes, nec significationem tacitam, quæ fastum sapiat, mones *vt seipsum agnoscat*, facis quod dignum sit eo, quem modestia dedeceat. Nam quod *toties & tam enormiter lapsum* dicis, id verò restat videndum.

Cap. III.

Ad * *obiecta de conuitijs duplex responsio. Altera non esse conuitia quæ recitas, nec omnino falsa. Altera teipsum manifestè teneri huius criminis.* * *Becanus p. 3.*



Eprehendi *Matthæum* Tortū quod *totus sit in conuitijs*, cum agnoscis: nec hoc satis, nisi & verba quibus reprehenditur otiosè recites; quibus & *petulantiæ* notatur & *immodestiæ*: addidisses patronus bonæ fidei, & defensionem criminis

minis. Sed ad hanc mutus es: ne forte quicquam vsquam quod momenti esset, agere videre. q Vnum, quod potes, tandem adijcis: negas Episcopum *conuitijs lacessitum à Torto*; inepte, quis accusauit, quasi Tortus in hunc Episcopum nostrum petulanter scripsisset? Petulanter & improbè de Rege *Iacobo* (vt habes refutatum ab ipso Rege sub finem præfationis monitoriæ) de Regina quoque *Elisabeta*, etiam grauiùs conuitiatur: hæc sunt quæ ab Episcopo notantur verbo: ingenium Torti odiosum, & Regibus maledicum notat: de se eum vaticinari potuisse non putauit. Tu vero vaticinare porrò, & dicta sententias: *qui custodit*, inquis, *os suum, &c.* &, *ex abundantia cordis, &c.* &, *maledici Regnum dei non possidebunt.* Et, *non decent ista bonum virum:* &, *Tortorem non admodum forte dedeceant, non Sacellanum &c.* Exhauri penum huius loci, adde quod facis *de talione in malis non reddenda*: vt si inuidiosus est, si caret excusatione qui sequitur (quanquã noster, ne sequitur quidem) qui præiuit viam, quod de Torto non refellis, & qui sic contra seipsum loquitur sententias, quod de te statim apparebit, multo maiore sit in crimine.

q *Pag. 3.* nec est quod te excuses exemplo *Matthæi Torti* quasi is prior lacessierit te cõuitio: primum non ita est: deinde, fecisset sane, an tu in malo talionem? *Vbi nota edita iam secundo Apologia Regia antequam ista scriberet Becanus: eum non potuisse putare eundem fuisse auctorem Apologiæ & Torturæ.*

§. 2. Tortum ab Episcopo nostro, *conuitiando longè superari dicis: cum hic noster* Clementem 8. *perfidum*, Nicolaum Sanderum *mortalium mendacissimum*, Edmundum Campianum *& alios qui pro Catholica fide* (vt loqueris) *Martyrium passi sunt proditores, Iesuitas atrocissimorum facinorum auctores vocarit.* Fatale hoc tibi præuaricari, quibus defensionem debes. Recita ex r auctore fide digno (quæ idonea est copia) Pontificum vestrorum scelera

r *Puta ex Platina vide in Tortura p. 219*

lera, adulteria, veneficia, crimen ambitus, hæresim, Necromantiam, perfidiam: nihil adde, quo minus quicquam horum probabile videatur: tandem au-ctorem accusa verbis tuis frigidis, quod *Tortum* tuum *conuitijs longè superet, nemini parcat, omnes vbi minima occasio est, conuitio aliquo lacessat.* Vllamne (putas) Pontifices illi si viuerent, haberent tibi talis Apologiæ gratiā? aut non potiùs scurrilē sub alienâ personâ reprehensionē, in hâc nudâ suorū criminū recitatione agnoscerēt? Genebrard[s] vester cui[f] Papa *Paulus* 2. *Osor virtutis & literarum*, & cui quinquaginta plus minus Pontifices, per annos 150. continuo ordine succedentes[t] *Apostatici potiùs quàm Apostolici*, cur non apud vos insignis conuitiator? Dices credo, quia verum vbi opus erat dixit: doce ergo si potes de nostro, non ita esse: si falsum dixit, aut vbi non erat opus, cur non ostendis? si verum, & vbi opus, cur reprehendis? cur quasi parum feliciter initiatus Prisciano, accusationē seriam habes pro conuitio improbo? si nescis quid intersit, audi magistrum dicendi. *Maledictio,* inquit, *nihil habet propositum præter contumeliam: quæ si petulantiùs iactatur, conuitium est: si facetiùs vrbanitas nominatur.* Ab his accusationem longè distermінat, *accusatio,* inquit, *crimen desiderat, rem vt definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet.* Noster, illâ grauitate, illâ prudentia, non (vt rêre) arripit maledicta ex triuio, aut ex scurrarum aliquo conuitio. *Tu caue, ne fragili quærens infigere dentem, offendas solido.* Quid tua aut iniquitas, aut negligentia, aut stupiditas possit legendo animaduertere, nescio: alijs hoc viro (qui, si tibi fides, *omnes,* & *vbi minima*

f *Notis Chr. ad Paulum* 2.

t *Initio seculi.* 10.

minima occasio, & *conuitio aliquo lacessit*) vix alius videtur verborum cautior aut circumspectior.

Legisti Apologiam regiam, etiam (si tibi dignum credere) refutasti: habes sub finem responsionis ad prius Breue Pontificium, testimonium Regis optimi, *Clementem* 8. sæpè & apud plures professum alacritatem & studium suum, ad Regis ius hæreditarium promouendum: nec hoc negat Tortus, ad hunc locum respondens: [u] sed vt perfidiæ purget *Clementem*, negat ab eo actum quicquam, vnde Regno Angliæ Rex excluderetur: hoc ergo Episcopus Eliensis, postquam multis & clarè refutasset, quia Tortus iniquè tulerat Pontificem in Apologia perfidiæ accusari, concludit tandem *nec ergo non perfidus* Clemens, *sed spe frustratus*: qui potuit parciùs?

u Pag. 55.

Sed & grauiter fers quod *Nicolaus* ille *Sanderus*, à nostro audiat *mortalium mendacissimus*: vbi nisi animus tibi esset à nobis, & salute Anglorum publicà alienissimus, nimis quàm benignè cum hoste tam diro, tam proiectæ audaciæ, tam linguæ maledicæ, actum faterere: nescis quantum existimationi suæ, quantum causæ vestræ detrahant, qui hanc furiam in Hibernicà perduellione tandem ad inferos ad sorores suas remissam, vel de Ecclesia Anglicanâ optimè meritam, [x] vt *Bellarminus*, vel [y] pro auctore sententiarũ verè aurearum vt Tortus, vel pro teste idoneo & locuplete laudant vt [z] Stanislaus ille insulsissimus.

x *Epistola ad Archipresbyterum.*
y Pag. 143.
z *Examine edicti Anglicani fol 5. vide & Tortum p.* 143.

Hic dum in Hiberniâ inter Italos & Hispanos à *Pio* quinto immissos, & perduellibus Hibernicis coniunctos classicum canit: iamq; etiam spes esset

breui ex Hiberniâ in Angliam progressurum incendium, ecce tibi interim [a] *Edmundus Campianus*, Iesuitarum in Anglia proto-pseudomartyr, omni ope atq; operâ id agere, vt in atrum illum diem, animos viresq; Catholicis suis Anglicanis compararet: vide plura [b] apud Episcopum, & agnosce ab eo *Campianum* proditorem, non inani conuitio, sed certa solidaq; accusatione dici. Nondum lata lex, quæ emissarios sacrificos vestros, si pedem in Anglia figerent, læsæ maiestatis teneret: ne putes in eum ex hac lege actum: sed nec ex altera, quę de ijs, qui iuramentum contra primatum Papalem recusarent: causa ei in tota actione iudiciali, quę religionem attingeret, obiecta nulla.

a *Circa annum 1578. Elisabetæ 20.*

b Pag 227.

Sed nec ijs, in quos, ex [c] lege illâ de emissarijs, actum póstea est, conuitium fieri putes, si in nostro proditorum atro, potius quam in vestro Martyrum albo recensentur: quid ni enim *proditores?* quos constat in Angliam confluxisse, vt vna cum Papismo seditionum, & coniurationum semina auditorum suorum animis instillarent. *Ego intra proximum semestre, ego intra proximum trimestre* (sic ad patrem Generalem scriptitabant) *reconciliaui* (addebant numerum [d] puta quinq; vel sex) *pro quibus spondere ausim, quacunque occasio inciderit, omnes à parte nostrâ fore.* [e] Hæc tu & alia huiusmodi, cum in Tortura legeres, vna scilicet conuitij nota refutasti. Ne putes de hoc genere hominum veri ferè quicquam ad vos peruenire: *Vos tantum tenuis famæ perlabitur aura.* Fallit vos [f] *Legenda plumbea* de persecutione Anglicana : fallunt profugi nostri, quibus ita facillima apud vos ad gratiam via, vt de

c *Latâ Elis.27. anno Christi 1585.*

d *Campianus gloriatus de decem millibus à se intra anni spatium.*

e Pag 138.

f *Vide Torturam pag.152.*

de nobis plurima memoriter mentiri poterunt.

§. 3. Iam & illud tibi ægrè est, quòd Iesuitas (puta quosdam) atrocissimi facinoris (id est coniurationis vt vocatur pulueraria) Episcopus auctores faciat. Nam quod ita hoc efferas, quasi totum ordinem vestrum atrocissimorum per orbem Christianum facinorum auctores dicat, nusquam dicit. De cõiuratione illâ pulueris tormentarij, & de huius scelerati cõsilij auctoribus (vnde legi ferendę *de iuramento fidelitatis*, data causa iustissima) defensori huius iuramenti, iustissima occasio dicendi: & cò etiam iustior, quòd Tortus præpositum Iesuitarum Prouincialem, *Henricum Garnettum*, & Iesuitas quosdam huius sceleris notatos, [g] excuset: & illum pro Martyre, hos pro confessoribus, Regem deniq; pro persecutore habeat. Itaq; qui diligenter ad omnia, hic quoq; diligentissimè, euidentia, rerum veritatis voce & vi, tabularum, testium, probationum luce, soliditate, pondere, conuictum huius sceleris hunc *Garnettum* docet: etiam ore proprio, Chirographo proprio, coram consessu honorario, confessum: literisque adeo interceptis, nec vnis sed pluribus, quas manu propriâ, præcipuè vero illis, quæ datæ *Dominicâ in ramis palmarum, ad dilectissimos patres & fratres*, factum non modo de ipso, luce clarius, sed & de alijs Iesuitis pluribus; eos atrocissimæ huius coniurationis participes, ac cæteris auctores ac duces extitisse. Hanc tu omnem rerum declarationẽ, tam certâ veritate fultam, tam ad causam quę agebatur necessariam, homo amens *commitium* vocas: atque ita quasi totam egregiè refutâsses, verbum de eâ non ampliùs addis.

g Pag. 113.

Ex-

Exciderant penè mihi, quæ diligenter vestigando, alia duo reperisti in auctore nostro mira conuitia: vnum, quòd dicat vos sinistrè omnia accipere, quasi de prosapiâ Malchi, cui præcisa auris dextera: alterum quòd *Bellarminum*, cum ostrum Cardinalitium indueret, votum Iesuiticum fregisse. Sed & in paradoxis vtrumq; horum numeras, ob penuriã? & cur quæso non iterum in paradoxis *de Iesuiticâ proditione*, de *Clementis perfidiâ, de mendacitate Sanderi?* An maior tibi cura viui Cardinalis, quam mortui Papæ? maior prosapiæ Malchi, quàm societatis propriæ?

§. 4. Sed si ista conuitiorũ indignissima, aut omnia (nam quod addis ex more rhetorũ, alia te omittere, scio aut leuissima, aut nulla) non fuerat certè, vt ea quæ omittis *petulanter despumata* diceres: petulantem enim despumatorem credo dicis; cui os rabidum, animus improbus: qui quasi fluctus maris concitati, ἐπαφρίζει (vt loquitur sanctus *Iudas*) ignominiam suam: quasi spumam eructet: quanquam est quidem cui despumatũ sit illi sensu [h] atq; defecatum: sed tuus sensus scio alius: cui iam olim à personâ quam geris, datum, nostris ingenui candoris legibus non teneri: cuius etiam illa sunt de eodem Episcopo nostro, [i] *Eadem libidine desæuire*, & [k] *de Regno cœlesti non magnopere curas*, & [l] *si nihil aliud quàm mentiri & calumniari tibi propositum est*, & [m] *more tuo vel nugari pergis vel contumeliam inferre*: & huiusmodi alia: quæ si iusta tibi indignatio in re manifestâ, & cum opus esset, expressisset, equidem non reprehenderem: Sed cum sine causâ, non modò iustâ aut manifestâ, sed etiam vllâ (si con-

h *Georgic. 1. aut foliis vndam tepidi despumat aheni.*

i Pag. 4.
k Pag. 24.
l Pag. 37.
m Pag. 38.

confidentiam & studium partium exceperis) ista, vt suis locis apparebit, effutias, non carent certè conuitio & contumelia: quemadmodum & illa etiam, quæ de eodem dici vis,[n] *stultus vt luna mutatur*, & *vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis.* Nam ad grauiora [o] toties in eundem inculcata, quasi non studio veritatis sincerè, sed odio Papæ malignè, & in gratiam Regis adulatoriè, scripsisset: quasi quicquid Regi placere nouit, omnino tueri & approbare decreuisset: atq; hoc animo & affectu Torturā scribere instituisset,[p] cum sine argumento, sine leuissimæ suspicionis indicio, hoc tantū crimen viro grauissimo, in quo candoris, doctrinæ, acuminis, dignitatis plurimum non possis non agnoscere, vel sexies obijcias intra tam paucas tuas paginas, qui tandē euades, quin insignis conuitiator habeare: quin in te (vt tuo verbo vtar) *quadrent* illa, quæ contra conuitiatores & maledicos sententiosè in hunc locum congessisti? Quòd etiam quo magis appareat adde quòd in Regium Sacellum impurissimè conuitiaris [q] *& hoc* (inquis, puta Regem in vtero materno extinguere) *in tuo sacello* (id est in Regio sacello, vis enim sacellanum esse regium) est ingenuos esse? adde etiam quæ in Lutherum grauissima de fece conuitiorum hausta exspuis, & sine iusto argumento tibi credi vis, [r] *fornicationis*, (aut *adulterij*) & *sacrilegij*, & *perfidiæ* crimina: adde etiam quæ in ipsum *Iacobum* Regem potentissimum, atq; clementissimū (ea iam tempora, hi mores) indignissimè, nec id semel, aut iterum, sed tertio & sępius [s] calūniaris: vt non iam de Malchi sed Thersitę prosapia videaris, cuius illud [t] μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεναι βασιλεῦσι

n Pag. 22.

o Vide infra cap. 16. ad Paradoxum 12.

p Vide cap. 20.

q Pag. 7. vide cap. 5. §. 3.

r Pag 36. vide cap. 17.

s Pag. 31. 32. 35. 61. vide ad singula responsum suis locis.

t Ἰλιάδ. β.

βασιλικοί: nec tam refutatore tibi opus, qui verbis agat, quàm Vlysse, qui Thersiticam petulantiam fustibus compescuit.

Cap. IIII.

*Ad * Catalogum Paradoxorum quem subiicis, duplex itidem responsio. Altera, ne vnum quidem eorum quæ pro Paradoxis recitas, etiã si falsum esset, Paradoxum dici posse: Altera per Catalogum absurdarum propositionum, apud te in hoc libellulo tuo complurium: quas ferè pro fundamentis aliarum rerum supponis.* * *Becanus p.4.*

Paradoxa, quorum & in hoc fragmento tuo contra Episcopum, & in altero contra Regem, sedulus & acer venaticus es, exponis alicubi *falsa dogmata* [a] *Paradoxa*, inquis, *seu falsa dogmata, quæ passim reperio in libro serenissimi Regis.* [b] Alibi *falsa & absurda.* Melior auctor non *absurda*, nec fortè *falsa*, sed *admirabilia. Hæc*, inquit, *Paradoxa illi, nos Admirabilia dicamus.* Et iterum: *illa mirabilia Stoicorum quæ Paradoxa nominantur.* Sed benè, quòd in genere *dogmatũ* colloces: planè enim oportet *dogmata* esse, quæ Paradoxa sint: dogmata autem, docentum visa seu decreta: audi eundem magistrum sermonis valdè bonum: *Sapientia*, inquit, *neq; de seipsâ dubitare debet, neq; de suis decretis quæ Philosophi vocant dogmata: quorũ nullũ sine scelere prodi poterit: cũ enim decretum proditur, lex veri rectiq; proditur.* Ita non quiduis quod scriptori fortè excidit, dogma

a *Contra Regem pag. 10.*
b *Contra Torturam pag. 2.*

rectè dixeris: sed quod ita sit in scientiâ, vt lex in republicâ, *quodq; pro scientiæ decreto, de industriâ credendum statuitur*; & vt vos loquimini, quasi ex Cathedrâ: ideoq; cùm eorum quæ ex Episcopo recenses, vix vllum sit quod dogma dici possit: quo modò tandem omnia Paradoxa esse statuis? Nec leuis sane hæc culpa in tam multis omissionibus tuis: quòd qui Paradoxa quindecim ita gloriosè obijcis, & in vnum conspectum omnia colligis, & quasi in triumphum agis: etiam in proœmio tautologus bis promittis, & in Epilogo iterum ingeminas: nec contentus semel singula recensuisse, iterum inculcas: nusquam tamen ne de vno quidem doces, aut docere conaris, cur Paradoxum dicatur. Id modò (quod quàm infeliciter facias tandem apparebit) laboras de singulis; vt aut falsa, aut nostræ sententiæ incommoda videantur: & quid hoc ad Paradoxum? quasi non sint falsa aut incongrua infinita, quorum ne vnum quidem hoc odioso Paradoxi nomine digneris. Nec quid sit Paradoxum, qui tam multus es in Paradoxis, quæsisse apud te videris aut cogitâsse: aut animaduertisse, quam contra te ipsum faceret, quod Paradoxa in genere dogmatum fateare.

Cùm enim dogma vt exposui, nullũ sit de quæstione facti, aut historię, aut quid quis sentiat, aut quãtum intelligat, multò verò min⁹ de verbo, de ambiguo, de allusione, (ideoq; eorũ quæ recitas plurima & ferè omnia ne dogmata quidem sint) quomodo tibi omnia non modò dogmata, sed etiam Paradoxa dogmata? *Quid Puritani in Angliâ sentiant de iuramento Regij primatus in rebus spiritualibus:*

quid

quid vestri de primatu Regũ Israel: vtrũ faciatis Ethnicos Reges meliore conditione quàm Christianos: vtrũ Reges dici possint pastores ouium Christi: vtrum Pontifices in sacris literis vocentur Christi domini: vtrum faciatis Ecclesiam monstrosam & bicipitem: vtrum Regnum temporale Pontifici vestro à diabolo petendum sit: vtrũ Prophetia Apocalpyseos (ita vt sensit Episcopus) clara sit & minime intricata: vtrum Reges Daniæ, Sueciæ, consentiant cum Rege magnæ Britanniæ? vtrum doceatis fidem non esse seruandam: vtrum sitis de prosapiâ Malchi & quasi trunci aure dextrâ: Has quidem quæstiones vndecim, ex præmissâ dogmatis definitione, nemo sanus dixerit quæstiones dogmatum. Ita ex quindecim Paradoxis quæ obijcis, vndecim toto ipso genere dogmatum, ideoq; etiam Paradoxorum dogmatum excluduntur. Reliqua quidem quatuor, *quòd primatus spiritualis Regi debeatur omni iure: quòd Regi Angliæ iam non sit liberum Pontificiam Religionem in Regno suo permittere: quòd* Bellarminus *votifragus sit: quòd excommunicandi potestas Ecclesiæ, non* Petro *vni data sit:* Pertinent quidem ista ad quæstiones dogmatum: sed cum dogma nullius dici possit, nisi quod is cuius dogma esse dicitur *de industriâ*, & vt dixi *pro decreto* & quasi *pro lege* sanciat; hæc autẽ quatuor apud Episcopum (si postremum modò quod apud te nonum est exceperis) omnia obiter dicantur, certe vt dogmata sint, tamen Episcopi nostri dogmata dici nullo modo possunt. Ita ex quindecim apud te *Paradoxis*, vt vocas, *Sacellani*, vndecim ne dogmata quidem: tria, saltem non huius dogmata: vnum modo *de clauibus*, *Sacellani* (vt vocas id est Episcopi

Elienſis) dogma eſt: Paradoxum autem (id eſt admirabile dogma) ne hoc quidem, etſi falſum eſſet, vel inde colligas, quod de clauibus Eccleſiæ datis nihil aſſerat Epiſcopus: niſi quod *Bellarminus* fatetur, cum ſententiâ *Gerſonis*, *Almaini*, *Abulenſis*, & Cardinalium Cameracenſis, *Cuſani*, *Florentini*, cum Panormitani deniq; & aliorũ ex Catholicis veſtris complurium ſententiâ conuenire: Ita *controuerſum* quidem inter vos hoc dogma rectè dixeris: *Paradoxum* autem, & admirabile (ſiue verum ſiue falſum ſit) nequaquam dicendum.

§. 2. Videamus nunc, quia Catalogum qualemcunq; Paradoxorum contexere tibi placuit, ecquem & ipſe vel Paradoxorum vel abſurdorum, quibus euidens ratio reclamat, Catalogum nobis ſuppedites: nec hic aliena (id eſt [c] *Bellarminiana* in Torto) quæ per defenſionis profeſſionem neceſſariò participas, obijcio: de tuo enim addis non neceſſaria in tam paucis tuis paginis quàm plurima: ne infinitus ſim, præſcribã mihi numerum quẽ non excedã, triplũ tibi reddã: pro quindecim ter quindecim. Nec illa ex obiter dictis: ſed ferè omnia ex fundamentis reprehenſionũ tuarum: vnde vt ſolent radices & fundamenta defodi & latere, ita horum pleraq; apud te quaſi defoſſa & pro notis & conceſſis ſuppoſita: ideoq; non erit cur expectes, vt nihil tibi imputem, niſi quod habes verbis expreſſis. Tua enim ſunt, non minùs quæ euidenter præſumis & ſupponis, quàm quę ad verbum exprimis. Itaque ſiquid fortè non agnoueris pro tuo, redi ad certum quem notabo huius reſponſionis locum, vbi ſatis apparebit, & abſurdum eſſe, & tuum.

c De quibus vide ſub finem Regiæ præfationis monitoriæ.

1. Ab-

1. Absurdum : [d] satis ad refutationem libri, si pauca,& ea leuiora,& à scopo controuersiæ aliena, & pleraq; obiter dicta reprehendamus. d *Vide capite* 1. *per totum.*

2. [e] Satis si ostenditur auctorem egisse causam suam negligenter. e Cap.2.§.5.7

3. [f] Accusatio fulta testimonijs & argumentis, etiam cum maximè opus est adhibita, conuitium est. f Cap.3.§.2,3

4. [g] Vt probetur aliquid Paradoxum esse, satis, si ostenditur falsum esse. g Cap.4.§.1.

5. [h] Nemo ingenuè iurat in primatum Regium, qui aliquando, quoad obedientiam & fidem, re atque opere se ostendit improbè refractarium. h Cap.5.§.3.

6. [i] Nemo ingenuè iurat in primatum, nisi qui ingenuè facit quicquid facit. i Cap.5.§.3.

7. [k] Qui acriùs aliquando inuehitur in Puritanos quàm in Pontificios, idem eosdem putat peiores Pontificijs. k Cap.5.§.6.

8. [l] Quod de Puritanis quibusdam in Scotiâ olim compertum est, idem non modò de Anglicanis qui nunc sunt, sed etiam de transmarinis Caluinistis rectè dici potest. l Cap.5.§.2,6.

9. [m] Puritanorum Anarchia (id est Presbyterorum & Ministrorum Ecclesiasticorũ paritas) non potest consistere cum primatu Regio. m Cap.5.§.5.

10. [n] Impudentes sunt qui librum sæpiùs apud se recudi, vel per imprudentiam, sinunt, in quo libro aliquid ad ipsorum ignominiam asseratur. n Cap.5.§.6.

11. [o] Qui dicit toti quæstioni vim alicunde esse, idem dicit non aliunde esse. o Cap.6.§.2. & cap.23.

12. [p] Qui dicit nusquã exemplũ in nouo Testamento, fatetur nusquã in nouo ne præceptũ quidẽ. p Ibid.& c.23.

q Ibid.& c.23 13. [q] Qui dicit nusquam exemplum in libris noui testamenti, fatetur nusquam exemplum ante nostram ætatem.

r Cap.7.§.2. 14. [r] Qui dicit neminem sibi adhuc repertum, dicit neminem omnino esse.

s Cap.8.§.1. 15 [s] Qui dicit Reges esse Pastores ouiũ Christi, dicit illud (*Pasce oues meas*) eodem sensu ipsis & *Petro* conuenire.

t Cap.8.§.5. 16 [t] Qui dicit alicui vel vires vel animum deesse, dicit vtrumq; deesse.

u Cap.9.§.5. 17. [u] Vt appareat summum Pontificem in scripturis peculiari aliquo iure vocatum vnctum Domini, satis si ostenditur sacerdotes vnctos fuisse.

x Cap.10.§.7. 18. [x] Papa eo sensu dicitur Christus Domini quo seruator. *Luc.*2.26.

y Cap.9.§.7. 19. [y] Deus vngebat eos qui oleo tantùm corporali vngebantur.

z Ibid. 20. [z] Reges & sacerdotes veteris Testamenti tantùm oleo corporali vngebantur.

a Ibid. 21. [a] Reges veteris Testamenti typi erant Messiæ qualis in terris futurus erat.

b Cap.11.2. 22. [b] Papa non potest deponere Regem Ethnicum, & tamen Christianum potest.

c Cap.14 & 22. 23. [c] Qui dicit fortè posse, dicit posse.

d Cap.12.§.1. 24. [d] Qui dicit diabolum dixisse se habere, dicit diabolum habere.

e Cap.11.§.2. 25. [e] Excommunicatio Regi maius malum quàm depositio.

f Cap.12.3. 26. [f] Papæ plus iuris in Regna temporalia quàm Regi in Ecclesiam suæ ditionis.

g Cap.13.§.1. 27. [g] Quod dicitur ab Ecclesiâ transferri in siue vnum siue plures, dicitur, transferri in quos Ecclesia voluerit.

28. [h] Qui

28. [h] Qui ſententiam ſuam de Antichriſto modeſtè coniecturam dicit, negat de hac re aliquid certi poſſe ſtatui. h Cap.14.§.2.

29. [i] In iuramento Regio qui dicit impedimentum eſſe, ne in Regno religiones diuerſas toleret, dicit Regem ipſum non poſſe ſine periurio ſuam religionem deſerere & aliam profiteri. i Ca.16.§.1.2.

30. [k] In ijs qui in Aethiopiâ, Aſſyriâ, Aegypto, Ruſſiâ, Græciâ, ita Chriſtum profitentur, vt Papæ Primatum non agnoſcant, nulla pars gregis Dominici cenſetur. k Cap.15.§.5.

31 [l] Pactum iniquum reſcindi poteſt, non obſtante iuramento. l Cap.16. §.4.

32. [m] Nuptiæ propter defectum doni continentiæ, poſt votum initæ, adulterij aut ſaltem fornicationes reæ ſunt. m Cap.17.§.2.

33. [n] Votum ſolenne ſtatus perpetui pendet ab arbitrio Papæ. n Cap.17.§.5.

34. [o] Proteſtantes non putant ſe obſtringi Regi patriæ ſuæ niſi dum ipſi in patriâ degunt. o Cap.17.§.8.

35. [p] Non putant ſe obſtringi Regi Apoſtatæ. p Ibid.

36. [q] Pontificij etſi docent iuramentum fidelitatis non eſſe ſeruandum, quoties Papa Regi excommunicato ſeruari prohibuerit, non tamen docent fidem non eſſe ſeruandam. q Cap.18.§.5.

37. [r] Nec perfidiam eſſe licitam docent, etſi docent iudicem qui indirectè procedat, poſſe, vel interpoſito iuramento, falli per æquiuocationem. r Cap.18.§.7.

38. [ſ] In quæſtione de primatu Eccleſiæ, nihil aliud intelligitur nomine huius primatus, quàm ſuprema iuriſdictio Eccleſiaſtica. ſ Cap. 21.§.2.

39. [t] Poteſtas remittendi peccata pertinet ad clauem iuriſdictionis. t Ibid.

u Ca.21.§.1.2. 40. [u] Qui dat Regi primatum quoad ſpiritualia, dat eidem primatum ſpiritualem.

x Cap.22.§ 1. & ca.13 § 3. 41. [x] Excommunicatus etſi Rex ſit, ita eijcitur ex Eccleſiâ, vt exul è republicâ.

y Cap.27.§.1. 42. [y] Deus voluit Ioſuam ad Eleazari imperium, omnia facere.

z Cap.27.§.4. 43. [z] Ad tyrannidẽ ſeu ad impietatem ſpectat, quod non liceat ſubditis ſine Regis veniâ, Regno exire ad Euchariſtiã ritu Romano participandam.

a Cap.26. 44 [a] Si non ſunt de Eccleſiâ, quà ſubditi, tum nec ſubditi, quà de Eccleſiâ.

b Cap.28. 45. [b] *Innocentius* 3. in Decretalibus, & *Gregorius* ſeptimus ad Hermanum Metenſem teſtes ſatis locupletes apud eos qui primatui Papali cõtradicunt.

Habes vt promiſi triplum. Mitto autem alia c Cap.24. innumera: & ne fruſtra hoc videar dicere, vide [c] reſponſionem noſtram ad quartum tuum argumentum contra primatum Regium: vbi in vnius loci expoſitione quindecim tuas præſumptiones inuenies abſurdiſſimas: vt ita ſi triplũ non ſufficit, quadruplum habeas.

CAP. V.

Becanus pag.6. Tortura p.337. *Primum Paradoxum facis, quod dicat Puritanos in Angliâ ſincerè iurare in primatum Regis.*



Rimum, inquis, *ait paginâ* 379. Et cur quæſo hoc primum, quod habet ſub finem libri? peruerſus & auerſus lector, cui quæ prima eſſe oportuit, *candor & fides*, vtrumq; in poſtremis, eidem & poſtrema in primis: cancros imitare legendo:

gendo: festinabas properè ad finem: iam ab initio pœnituit incepti. Sed ait, *Puritanos in Angliâ sincerè iurare in primatum Regis.* Eumenidum demens postquam videt agmina Pentheus, exclamat statim, & solem geminum, & duplices se ostendere Thebas: certè si [a] Sedulio vestro libet non diffidere, primo Franciscanorum conuentu capitulari, visi fraterculorum sex millia, diabolorum autem octodecim millia: terni scilicet horum, pro illis singulis: & quis scit an tibi quoque similiter, in capitulo vestro visæ Eumenides: vnde faciliùs tibi protestantium in Angliâ Religio duplex, quasi sol geminus, & duplex Ecclesia appareat? Deo gratia est, longè aliter se res habet de pace nostrâ inter nos, quàm vt vos, vel putatis vel cupitis: næuus iam est, & non vlcus, sed obducta cicatrix, quòd ita cupis exulcerare de Puritanis. De nomine huius sectæ (si secta iam est, ac non pauci, qui petito à religione factionis prætextu, cæteris minus malis nomen odiosum impertiuere) non morabimur: cum deest nomen aptũ, nomine minùs apto breuitatis causâ vtimur: de re, expectamus vt probes, non sincerè ab ijs iurari in primatum Regis.

a *Apol. pro lib. conform. l. 2. c. 2*

§. 2. Et quomodo hoc probas? num ex libris eorum editis, verba recitas? loca in libris indicas? nihil huiusmodi. An ergo ad illud respondes, quod ab Episcopo [b] alibi dicitur, scrupulum qui aliquando his hominibus fuit *de voce*, non *de re*, fuisse: de voce *capitis*, non de re *supremi gubernatoris*: nunc verò etiam sublatum hunc scrupulum sublatâ voce *capitis*, & substitutâ alterâ, *supremi gubernatoris*? ne ad hoc quidẽ quicquã apud te: nec ad illud quod ibidem

b Pag. 110.

ibidem additur, professos sæpe hos homines, idq; libellis editis, nunquam à suis detractum, ne iurent in primatum Regium, calumniam esse hanc meram. Etiam, ne ad ista responderes, dissimulâsti hunc totum locum, & ad alterum sub finem libri confugisti: huic loco non nisi per argumentum extrinsecus petitum, & vt vocant *inartificiale,* obtrectas leuiter. *Plus,* inquis, *fidelitatis se invenisse in efferis latronibus, Rex profitetur, quàm in Puritanis, igitur huic ingenui sunt qui Regi plus quam efferi latrones.* Tergiversator, & à quæstione transfuga, infer quod propositum est: tolle ambiguitatem propositionis indefinitæ: patebis vt strutiocamelus ridiculus: qui modò caput abscondas, totus vasto corpore detecto tutus tibi ipsi videris: quod dixit Episcopus, *illi quod faciunt ingenuè faciunt,* modò exposueras, [c] *id est ingenuè profitentur primatũ Regis.* Nec obscurum aut dubium quin rectè: quorsum ergo nunc, quasi dixisset, eosdẽ ingenuè facere quicquid faciunt? & Rex quidẽ de quibusdã olim in Scotiâ, Episcop⁹ autem de Anglicanis: (respondet enim ad verba [d] Torti de Puritanis *in Angliâ*) quorsũ ergo quasi vterq; de iisdẽ? Tolle hæc inepta, & quibus pueris fortè illudi poterit, nobis non poterit. Dic clarè: Rex aliquando in Scotiâ plus inuenit fidei in montanis & limitaneis latronibus, quã in hoc genere hominũ (id est, in quibusdã huius generis) ergo Puritani in Angliâ non sincerè iurant in primatũ Regis: vel quod idẽ est, quod faciunt, puta cum in hunc primatũ iurant, non faciunt ingenuè. Vides futilitatẽ: & quam sit inconsequens quod infers, *mortalis* vel potiùs infantilis *mucro* acuminis tui in scholâ, te Pręside, *dum terga*

c Pag. 6. Sed illi quod faciunt ingenuè faciunt: *id est ingenuè profitentur primatũ Regis: ingenuè subscribunt, ingenuè iurant.*

d Pag. 145.

terga tui palantia vertunt, sufficiat: postquã arma viri ad Vulcania ventũ est, infidus mucro, glacies seu futilis ictu dissiluit: fuluâ resplendent fragmina arenâ.

§. 3. Alium fratri ensem (id est aliud fraterculo argumentum) suppeditat dea Daunia. *Profitetur Rex, se ab hoc genere hominum, non solum à natiuitate continuo vexatum fuisse, sed etiam in ipso matris vtero propemodum extinctum*: fatemur, sed adde ex hac professione Regiâ conclusionem, *ergo qui nunc sunt in Angliâ, non faciunt ingenuè, quod faciunt, cum iurant de primatu Regio*: pudet, ah pudet addere, sed tamen fugis gloriosè: *quid ille* (inquis) *ad hoc? an reponet suum illud solenne, Puritani quod faciunt, ingenuè faciunt?* Obtinebit certè quo sensu modò à te expositum est: nec tamen suum solenne, quod semel modò dixit: tu interim *solennia* puerorum nugaris: qui fingas hoc *solenne* ei esse, vt tam tenuẽ mendacij fructum metas: obtinebit ergo quod dicis intellectum saniter: nec enim reponere solet ad obiectiones meram suæ sententiæ affirmationem (vt tu in hoc quoq; verbo ineptis) sed reponet exceptionem palpabilem, consequentiam argumenti tui ridiculam esse: nec te hoc ignorâsse, cum conclusionem, ne inconsequens seipsum proderet, suppressisti. Sed adiuuas quantum potes: *nimirum* (inquis, Episcopum alloquens) *vt tu quidem interpretaris, ingenuè voluerunt Regem in vtero materno extinguere, antequam in lucem editus esset, & hoc, in tuo sacello, est ingenuos esse.* Vt decet falsarium, & conuitiatorem, & nugatorem, ita loqueris: falsarium & deprauatorem agis euidenter, cum quæ verba initio rectè fueras interpretatus, hîc eo quem

supra

ſupra notaui ſenſu accipis, ac ſi dixiſſet, non modò Puritanos in Angliâ qui nunc ſunt, ſed & qui olim in Scotiâ fuerunt, non modò ingenuè facere quod faciunt, cùm iurant primatui Regio, ſed ingenuè etiam olim feciſſe quicquid fecere: hinc enim infers conuitium: *ergo in ſacello Regio* (Regij enim ſacellani, qualem hunc ſupponis, quod ſacellum niſi Regium?) *Regem in vtero materno occidere, eſt ingenuos eſſe*. Audies [c] ſuo loco non eſſe hanc Theologiam noſtram, nedum ſacelli Regij: ſed veſtram Ieſuiticam & Papalis conſiſtorij. Nugationẽ interim audi, quòd ſcopum ita transferas: quaſi quęrendum iam non eſſet, vtrum Puritani (quos dicis) in Angliâ ingenuè iurent primatui Regio: ſed vtrum tam Anglicani quàm Scotici ingenuè faciant quicquid faciunt: quaſi loco illo quem initio notâſti, Epiſcopus non refutationem mendacij apud Tortum, ſed vniuerſim encomium Puritanorum inſtituiſſet. Ne ita paſſim coruos ſequamur, vtriuſq; argumenti quod ex duplici Regis Teſtimonio inſtruis, vna vis: vtrumq;, quantum ad propoſitum attinet, in vnum hoc pacto contrahi poteſt. Aliqui aliquando, ex hoc genere hominum qui Puritani dicuntur, non fuere fideles Regi *Iacobo*: imo latronibus minùs fideles: quorum ſcelere Rex & continuò vexatus, & penè in ipſo matris vtero extinctus: ergo non habuerunt Regem pro ſummo in terris gubernatore, in rebus Eccleſiaſticis ſui Regni. Reſpondeo: diſparata ſunt iſta, fidelitas erga Regem, & ingenua profeſſio primatus Regij in rebus Eccleſiaſticis: ſæpe in eodem vtrumq;, ſæpe alterutrum ſine altero. Si enim verũ eſſet quod ſupponitur vtriq; tuo argumento

[c] *Ad Paradoxum* 14. c. 18

mento (quod in vnum compegi) non posse vtrumvis horum consistere sine altero, aut saltem neminem agnoscere primatum Regium, qui non Regi præstet fidelitatem, vide quò te conieceris: è conuerso enim verum etiam esse oportet *(cùm vniuersales negatiuæ simpliciter conuertantur)* neminem præstare Regi fidelitatem, qui non agnoscit primatum Regiū: vnde sequitur neminem ex vestris Catholicis, Regi fidelem esse posse: cum vestrorū certè nemo primatum Regium agnoscat: ita egregiam homo infœlix apud tuos inijsti gratiam. Vide verò vt imbecillitate tuâ fretus, dimittere etiam præsidia, & *procurrere longiùs ausim.* Dabo Puritanos illos, de quibus agitur in præfatione Regiâ, obedientiam Regi in rebus Ecclesiasticis detrectâsse: nusquam hoc apparet ex verbis Regijs: sed vt sis non paulo meliore conditione, gratis hoc accipe. Sed simul vltrà accipe, vt latro bonis spolians iustū Dominum, eumq; hoc nomine in vitæ periculum adducens, ex animo tamen putat bona hæc non sibi sed illi debita; Ita Puritani illi etsi Regem obedientiâ in reb⁹ Ecclesiasticis debitâ fraudârunt, ipsumque hoc nomine in vitæ periculum adduxerunt, poterant tamen ex animo putare hanc obedientiam eidem debitam. Etiam est vlterius quod demus, modò liberaliter tecum agi agnoscas: esto vt prætextu religionis Regi molestias & pericula creârint: an ergo statim vitio religionis? caue dixeris: scis *malum esse ante fores,* aperi ostium, ingredietur: dic quod prætextu religionis fit, vitio religionis fieri: sequetur coniurationem puluerariam, & alias complures, quæ prætextu Catholicismi vestri initæ, etiam

am eiusdē professionis vitio initas. Dabo adhuc vlteriùs (id tamē quod minimè dandū esset) non modò prętextu, sed etiam vitio, & *vitia* professionis suæ fecisse quæ fecere: & quid tum, si nonnulli ex hoc hominum genere, religionis seu professionis suæ vitio, in Regem refractarij fuerint: idq; cum periculo vitæ Regiæ? an ergo quæ nunc sunt maximę partis Puritanorum opiniones, statim easdem esse, aut etiam tum in Scotiâ fuisse dicemus, an potiùs (vt sunt certè & semper fuerunt) opinionum dissidia agnoscamus, nec apud omnes, aut apud plerosq; recepta, quæ nonnullis fortè seditionis non modò prætextum, sed etiam causam præbuissent?

§. 4. Vides quam contra nos pugnaueris miserè, & tuos tamen interim sauciaueris. Sed acu tandē rem tangis, de acrimonia Regiâ. In *libro*, inquis, *ad filium acriùs Rex in Puritanos, quàm in Pontificios inuectus est: igitur ex sententiâ Regis Puritani deteriores sunt quàm Pontificij.* Quæ hæc obliuio tua? ita planè ac si Letheos ducentia pocula somnos arente fauce traxeras, oblitùs es eius quod probandum tibi proposuisti, de Puritanis non ingenuè iurantibus in Regis primatū? [f] *At Pontificios* Episcopus *proditores dicit*, vnde sequitur, *Puritanos peiores proditoribus*: nec adhuc propositum infers. *At qui proditoribus deteriores sunt: quì possunt ingenuè facere quod faciunt?* Tolle ambiguitatem, quam sæpiùs iam dixi: vt responderi possit certi aliquid: num id vis, qui proditoribus deteriores sunt, non posse quicquam ingenuè facere: ideoq; nec ingenuè iurare in primatum Regium? Si hoc vis, respondeo in vno, aut etiam non paucis: in negotijs ingenuè

[f] *Becanus p. 7. At tu Pontificios vocas proditores. Puritani ergo proditoribus deteriores sunt, & tu tamen scribis ingenuè eos facere quod faciunt.*

ingenuè facere posse, quod faciunt etiam proditores: vt *Iudas* ingenuè fassus est, (id est ex animo) se peccâsse prodendo innoxium: etiam peiores proditoribus possunt: nam & diabolus fassus ex animo (nec vltra hic quæritur de ingenuâ professione) Iesum esse Messiam. At si ita vis, qui peiores sint proditoribus, non posse, omnia quæ faciunt ingenuè facere, fatemur: sed nec Episcopus usquam dicit, Puritanos omnia quæ faciunt ingenuè facere: vt iam sæpiùs à te cogor hoc ingeminare.

Sed vbi Pontificios vocat Episcopus proditores? certè cum Puritanos Pontificijs peiores dicis, id vis, omnes Puritanos his peiores: itaq; cum addis Pontificios ab Episcopo vocari proditores, id vis, omnes ita vocari: aut saltem plerosq;, atq; adeo ipsum nomen Pontificium sic accusari: ad mendacia tua hoc pertinet. Scis benè quàm multa & in Apologiâ Regiâ, & [g] in Torturâ Torti, ne putetis omnes Pontificios eodem ordine apud nos haberi: summa est ex sancti Iudæ consilio διακρινόμενοι: οὓς μὲν ἐλεῶντες. Duo facimus vestrorum hominum genera: vtrumque ἐξ ἐριθείας (vt ille οὐκ ἀρεσκομένων ἐπ' ἐρίδων γένος) vtrumq; quorum pœniteat: sed alterum quorũ misereat, alterũ quorum pigeat. Alterũ, hominũ minimè seditiosorum, quique exceptis circa cultum diuinum erroribus, cætera boni ciues habeantur. Alterum genus turbulentum, sanguinarium, infidum, ἄστοργον: quod

[g] *Vide pag. 14. Vbi ex Pontificijs alij Regio primatui, alij Regio principatui & saluti hostes. Ibidem prius genus vocat hominum (exceptis conscientiæ scrupulis) non malorum, nec erga Regem alieno animo. Ex altero genere, qui in machinationibus proditorijs deprehensi supplicio affecti sunt, eos (vt sæpe de ijs dicendi occasio data: imprimis à pag. 280. ad paginam 298) negat martyres, confirmat proditores fuisse: vide etiam pag. 78. insignem locum de scopo iuramenti fidelitatis, ad distinguendum duo illa genera Pontificiorum: item alium. pag. 88.*

quasi

quaſi mare vaſtum. vento edicti Papalis animatum,
facilè in quaſuis turbas & tempeſtates, contra pa-
cem publicam & ſalutem Regiam attollitur. Quid
ferè habes apud patronos cauſæ Anglicanæ; quod
aut ſæpiùs, aut expreſſiùs ingeminatur, ſurdis &
abſurdis vobis, quam ad hoc poſterius genus à pri-
ore internoſcendum, ſancitam legem de iuramento
fidelitatis, vel reclamante Papâ præſtandæ? teſta-
tur hoc Epiſcopus paſſim expreſſiſſimè: & tu ta-
men hic inſimulas, quaſi vnum modò genus veſtro-
rum hominum agnoſcat: & illud proditorum: *E-*
h Pag.113. *uangelium* quidem *veſtrum* [h] alicubi negat eſſe *E-*
uangelium pacis: & proditiones non quidem ex *Ca-*
tholicâ verâ, ſed ex *Catholicâ veſtrâ* fide proſemi-
natas: nec tamen omnes qui doctrinam veſtram
imbiberunt, pro proditoribus, aut patriæ hoſtibus
habet: ex verbis enim Regijs, *quo populus arceretur,*
ne tam alte ebiberet poculum Antichriſtianarum ſcor-
tationum, vbi Tortus nullã agnoſcit veſtrorũ homi-
num diſtinctionem, ſcis quàm egregiè diſtinguat,
vt ali' ſit qui ad fundũ exhaurit de fece, ϗ ἐς ῥύγα χεῖλος
i Pag.74. ἐρείδων: etiam [i] vt ebrius ſit: vt neq; pedes neq; ma-
nus officiũ erga Regem faciant: vt in Regẽ cornua
ſumat, vt titubet & impingat in *Petram* proditio-
nis: alius autem qui non tam altè bibat: quin ſatis
habeat profiteri fidem in Eccleſiã, non autem eti-
am perfidiam in rempublicã, traditiones fidei ſuæ
addat, nec tamen & proditiones addat perfidiæ.
Vides quam diſertè apud Epiſcopum non omnes
veſtri homines vno ordine.

Nec felicior ſanè, in eo quod ſumis ex Regis
ſententiâ: quaſi quia acriùs alicubi in Puritanos,
quam

quàm in Pontificios inuectus est, etiam illos his deteriores habeat. Nondum vides (qui sic disputes) pugnam & certamina disputationum non esse tuorum operum? Iunoni (inquit apud Homerum Iupiter) non ita irascor, sed Palladi magis: nec ideo Palladi magis, quod illa magis in culpâ, sed quia nihil nouum in Iunone obstreperâ, ἥρῃ (inquit) οὔτι τόσον νεμεσίζομαι οὐδὲ χολοῦμαι, αἰεὶ γὰρ μοι ἔωθεν ἐνικλᾶν ὅττι νοήσω.

§. 5. At *Anarchiam*, teste Rege, *amant Puritani*: ergo, inquis, *Monarchiam seu primatum Regium detestantur*. Ne hoc quidem sequitur: quod vt videas id primum intellige: ex sententiâ nostrâ Ecclesiæ gubernationem in rebus spiritualibus, etsi supremam, non tamen omnem penes Regem esse: ordinare enim sacerdotes, contumaces excommunicare, sacramenta administrare, Christi deniq; nomine hortari publicè & docere, ad Ecclesiæ gubernationem vel maximè pertinet: quorum tamen nihil penes Regem, nihil à Rege: at concilia conuocare, hæreticos pœnis temporalibus coërcere, leges de ritibus Ecclesiasticis suo pœnis temporalibus sancire, in appellationib9 cognitores dare qui & officij præstiti, aut neglecti rationes à sacerdotib9 poscant: hæc quoq; quæ Regi tribuimus, pertinent vt scis ad gubernationem Ecclesiæ, in rebus spiritualibus. In priore parte gubernationis rerum spiritualium, quæ non est Regia sed sacerdotalis, Puritanorum Anarchiam (id est sacerdotum & presbyteriorum paritatem) intellige: in alterâ enim quæ Regia est, nec paritatem affectant, nec Anarchiam: ideoq; primatui Regio quantum quidem ipsi intelligunt, hæc illorum Anarchia non opponitur: con-

ſtituta quidẽ actis radicib⁹, quos animos etiã ad paritatẽ ciuilẽ inducendã adderet, incertũ totũ & obſcurũ: ſed in ipſis ſentẽtijs nihil eſſe, quin ſacerdotũ paritas, ſeu Anarchia in officijs ſpiritualib⁹ cum Regis primatu facilè conſiſtat, nemo non videat.

§. 6. Nimis diu aliquid ad rem: quare mox excurris ad Puritanorũ (quos vocas) non noſtratium, ſed tranſmarinorum, miram quandam impudentiam: ſed primum ne prorſus inanis excurſio videatur, etiam de tranſmarinis dictum intelligis, quod Epiſcopus de ijs modò, qui in Angliâ: de his dixit, non de Scoticis, vt tu ſuprà arripuiſti, multo minùs de tranſmarinis [k] vt nunc tandem arripis: nec ſimpliciter dixit, ingenuè eos facere quod faciunt, ſed cùm iurant in primatum Regium, hoc quidem ab ijs ingenuè fieri: nec *ingenuè*, id eſt, *pudenter & modeſtè*, [l] vt tu nunc interpretaris: ſed *ingenuè*, id eſt, *ſincerè & ex animo*. Ita non vnâ, nec duabus, ſed trib⁹ & falſis & ridiculis præſumptionib⁹ nixus, ad Hollandorũ & aliorũ Germanorũ impudentiã accuſandã accedis: ſed & quartam priùs preſumptionẽ non minùs falſam adijcis, eo quòd in Germaniâ & Hollandiâ quos vocas Caluiniſtas, præſumis & ſupponis nihil aliud eſſe quàm noſtros Puritanos: quid interſit, vt alia omittã, vel ipſa ſatis te admonebunt verba admonitionis Regiæ: *ad candidũ lectorem*, quæ habes in calce præfationis monitoriȩ: quib⁹ & calumniæ indigniſſimæ, id eſt quintæ tuæ præſumptioni falſiſſimæ, qua Regem optimum hoc loco ſugillare non vereris, expreſſiſſimè & de induſtriâ occurritur. *An non grandis*, inquis, *impudentia eſt, & ſi vis, imprudentia* (nos quidẽ neutrũ volum⁹)

Quod

[k] *Pag. 8. verba Becani. Quos accuſat ille, tu purgas: ſed tamen ab impudentiâ purgare non potes: an non grandis impudentia quod in German. &c.*

[l] *Becanus pa. 9. poſt quam Puritanorũ (quos vocat) in Germaniâ impudentiam accuſarat: concludens quaſi aliquid contra id quod ab Epiſcopo dictum fuerat,* nonne, *inquit*, impudentia eſt? & tibi nihilominus ingenuè faciunt quod faciunt.

Quod Caluinistæ in Germaniâ, & Hollandiâ, qui nihil aliud quàm Puritani sunt, toties ausi fuerunt recudere Monitoriam Regis tui præfationem, in quâ tam apertè perstringuntur? quid enim magis spectare potest ad illorum ignominiam, quàm quod publico Regis testimonio habeantur deteriores latronibus: quippe qui in mortem Regis adhuc in vtero materno existentis, crudelissimè conspirârint? Hactenus à nobis patienter auditus: audi tu quoq; non tamen mea verba, sed Regis optimi. nec illa ad te tam atrum & maleuolũ, sed ad *Candidum Lectorẽ*, in calce vt dixi præfationis Monitoriæ. *Etsi*, inquit, *non diffido pium quemq; & candidum lectorem* (de te, ne metuas, non loquitur) *siue meum in hac præfatione consilium expendat, vbi de Puritanis verba facio, siue operis epilogum, vbi professionis meæ principes compello, facile iudicaturum Puritanorum nomine, non alios intelligi quàm populares & subditos: qui sub imperio meo degentes, legum imperijs reluctari animis obstinauere: Ecclesias autem apud exteros reformatas, earumue regimen non designari: Ne tamen inuidus quisquam aut maleuolus* (vide hîc, ad te, & tui similes, Becane, intendi digitum) *aliorsum atq; ego sentio verba mea interpretetur, hoc te paucis* (de te hoc, non ad te) *benigne lector* (vide stylum Christianæ humanitatis Regiæ, cui oppone tuum Iesuiticum) *monitum volui: quicquid inibi de Puritanis dicitur* (ergo etiam quod de periculo in vtero materno, quodq; de latronum meliore fide quàm quorundam huius generis hominum dicitur) *de ijs solis accipiendum, qui intra ditionis meæ fines, peruicaci huic se disciplinæ tradiderunt.* Hactenus habes ad præsumptionem quam dixi

 quintam,

quintam, quà quasi ex Regis testimonio Hollandos & alios ex Ecclesijs reformatis, non tam ad ipsorũ quàm ad Regis optimi quasi acerbissimi conuitiatoris inuidiam, insanissimè accusas.

Ad quartam, quâ præsumis eosdem hosce transmarinos, nihil aliud esse quam Puritanos, audi quod sequitur. *Mihi enim*, inquit, *alioqui est decretissimum, rebus alienis me non immiscere : sed alias reformatæ religionis Ecclesias Christianæ suæ libertati permittere. Imo tantum abest de ijs vt durius quid statuam, ob opinionum inter nos, de quibusdam capitibus (quorum pleraq; omnia sunt adiaphora) dissensum. vt contra existimem per eam, quam Christus nobis commendauit libertatem, Christiano cuiq; Regi, Principi, ac reipublicæ concessum, externam in rebus Ecclesiasticis regiminis formam suis præscribere : quæ ad ciuilis administrationis* (formam) *quàm proximè accedit : dummodo à fidei veræq; religionis fundamentis ne tantillum abscedat. Absit itaq; à me eos vt iudicem, quos Deus à iurisdictione meâ voluit esse immunes.* Habes his verbis Regis doctissimi rationem claram & solidam, cur inter transmarinos & nostros presbyteriorum & reliquæ huius disciplinæ fautores, intersit plurimum: vnde qui hos quidem (quod tamen vsu potiùs, quàm sponte aut consilio facim⁹) odiosiore nomine vsurpamus: non tamen & illos similiter notandos censeamus.

Sexta tua præsumptio falsa (præsumis enim hîc omnia, nihil probas) de definitione impudentiæ & eius quod minus ingenuè fiat maliguitatis quidem (vt quæ καθόλου sit) capax non erat : stultitiâ tamen ridiculâ certat cum prioribus. Vis enem [1] non facere

[1] *Vide verba supra descripta.*

cere ingenuè, sed impudenter qui librum ob certas causas omnium lectu (saltem suo iudicio) dignissimum, sæpiùs recudunt, in quo aliquid sit, vnde auctoris quidem iudicio, ipsi grauiter reprehendendi videantur: etiam etsi hoc non satis animaduertāt, cùm librum sæpiùs recudunt, sed per [m] imprudentiam faciant, vis tamen impudenter fieri & minimè ingenuè. Dic quæso tandem aliquid non stultissimè, vt ne pudori sis aduersario tuo, qui refutationi vacet. Quid enim est illud, quod dicimus *ingenuè fateri*, nisi ea fateri quæ contra nos ipsos faciunt? & quid est ingenuè, vel te ipso, vix quatuor ante lineis præmissis, interprete, nisi [n] *non subdolè?* quid ergo? subdolè fecerunt patefaciendo quod contra se faceret? mira hæc fraus, mira astutia in hac *iunbecia* & simplicitate Hollandorū: Punicū, non Batauū ingeniū: imprudenter fecerunt, & tamen subdolè: nec enim iactâsse se in hâc suâ ignominiâ dixeris, quos per imprudentiam fecisse concedis. Et quæ quæso impudentia in eo quod quis ignarus & imprudens ad suam ignominiam temerè admittit? Id erat, ingenuitatem & modestiam Indicum vestrorum expurgatoriorū imitari debuerant: quod pro suis partibus fecerat, admisissent. de vexatione Regis continuâ per quosdam homines Puritanos, de periculo Regi ab illis etiam cum in vtero materno adhuc gestaretur, de montanis, de latronibus quibusdam melioris fidei, ad hęc omnia illud vestrum *deleatur*, quasi gladium ad iugulum adhibuissent: etiam sicubi opus erat, & ad vestrum *inseratur* confugissent: quæ enim hæc impudentia, nudam veritatem, quasi nudam sine veste virginem, in publicum educere?

m *Verba Becani* & si vis imprudentia.

n *Non ergo ingenuè sed subdolè faciunt.* pag. 8.

quæ hæc immodestia, quàm parum ingenua, vt librum, etiam si eum bono publico conscriptum putemus, quâ quidem nostræ causæ non faueat, integrum & incorruptum prodire pateremur? quæ hæc astutia, quàm subdolum consilium, testem laudatissimum, cuius in testimonio aliquid sit quod nobis minùs placeat, non corrumpere: non iubere, vt aut prorsus, aut hac saltem de re sileat? Audaculum putas, & temerè exultabundum, quod venator Ascanius *pecora inter inertia votis optat aprum, aut fuluum descendere monte leonẽ.* Ego quidem non vitupero: quis enim aut capras, & ceruos fugacissimos patienter, aut hunc Onagrum Moguntinũ, non indignabundus insequatur?

CAP. VI.

Becanus pag. 9
Tortura pa. 90.

Pro secundo Paradoxo obijcis, quasi dixerit Primatum spiritualem deberi regibus omni iure.



AIt, inquis, *Primatum Ecclesiasticum deberi regibus omni iure. Hæc enim,* inquis, *sunt verba ipsius pag. 90. Primatus spiritualis debetur regibus omni iure.* Malum omen, initium à mendacio: hæc inquis sunt verba eius: imo figmentum tuum. Audi verba ipsissima, ex loco quem designas. *Neq; verò,* inquit, *quoad spiritualia, alium nos Regi Primatum tribuimus, neq; quoad temporalia alium Pontifici detrahimus, quàm debemus: prior ille regibus omni iure, posterior hic Pontifici nullo iure debetur.*

betur. Non ergo dicit *Primatum spiritualem*: sed Primatum *quoad spiritualia*, deberi regibus omni iure. At quid,inquies, interest? vobis quidem, quibus etiam vestes, & quæcunq; possessiones hominum Ecclesiasticorum *spirituales* dicuntur, parum interest: parum etiam vulgo, cui spiritualis gubernatio à gubernatione quoad spiritualia vsu loquendi non distinguitur:sed si rectè (vt par est in genere didactico) & propriè loqui volumus, interest sanè plurimũ. Quid intersit [a] supra paucis indicaui, & infrà dicendum pluribus.

a Cap.5.§.5. Infra cap.21.

Vt probes *non omni iure*, per varias διχοτομίας, iuris quasi prædicamentum, aut arborem Porphyrij exhibes. *Ius*,inquis,*aliud naturale,aliud Positiuum: hoc iterum aut diuinum aut humanum: Diuinum aliud veteris,aliud noui Testamenti: similiter humanum, aliud Canonicum aliud ciuile*. Quid audio? vel potiùs quid audit *Bellarminus*? collusorem nobis te,non aduersarium,proditorem causæ suæ,non defensorem excitauit. Quæ hæc incuria tua, quòd [b] *Traditiones* non scriptas *omni* tuo *iure* excluseris? nullum ijs in hâc totâ arbore ramum reliqueris,cui vel suspendi vel annecti possent? oblitus es scio,& causam scio: quia mendaci difficile est esse memori. Sed qui ius Diuinum nullum agnoscis, nisi quod positiuum sit, etiam nullum nisi aut veteris,aut noui Testamenti,quid facies tota disputatione *Bellarmini de verbo dei non scripto*? Quid decreto Synodi Tridentinæ, quæ Traditiones non scriptas ([d] id est

b *Vide colloquium doctoris Rainoldi cum Harto Iesuita: ab admodum Reuerendo Henrico Parreio, nunc Wigorniensi Episcopo, latinitate olim donatum, nuper excusum: huius colloquij capite septimo, sub finem, docetur ex Pontificiorum sententia Traditionem esse quod Petro Papa succedat: vnde hoc Becano (cui Traditiones non sunt ius Diuinum) non potest esse de fide.*

d *Bellar. de verbo Dei lib.4 cap.2.*

eas quæ non inueniuntur in sacris scripturis veteris aut noui Testamenti, etsi in libris patrum inueniantur) [d] *tanquam vel ore tenus à Christo vel à spiritu sancto dictatas, pari (cum ipsis libris Canonicis) pietatis affectu veneratur?*

d *Sessione quarta cap.* 1.

Addis homo amens, & zelo ἀχειρίας plane præceps, ius humanum aliud esse Canonicum, aliud ciuile. ita tibi quidem ius Canonicum omne in genere iuris humani: quod quantum scelus sit *Bellarmino* iudice, audi ipsius verbis. *Non est* [e] inquit, *silentio prætereunda, aut impunis relinquenda grauis eius auctoris temeritas, quâ vtitur, dum de sacris Canonibus loquitur, & ait: Scio equidem aliquos vltra Canones, qui velati leges humanæ, concurrentibus Diuinis, non possunt habere æqualem auctoritatem, citare etiam Sanctum Thomam, &c. Hæc* (temeritas) *est, grauis sanctorum Canonum contemptus: qui ex ore viri Catholici nunquam auditus &c. Postmodum etiam appellans absolutè leges humanas: ac si cum assistentia spiritus sancti factæ non essent: loquitur modo sanctis patribus inusitato: qui eos semper sanctos & sacros à Deo inspiratos.* Duo erant quæ Doctor Theologus dixerat, Canones esse leges humanas, & humanas leges non esse paris auctoritatis cum Diuinis. Tertium, quod etiam innuit, Canones Diuinis legibus repugnare, reprehenditur eo quod sequitur: *Demum*, inquit, *cum addit sacros Canones, &c. Significat Canones in hac materia contrarios esse legibus Diuinis.* Ita grandia illa, quæ biliosus senex præmiserat, in te omnia recidunt: nec enim credo Doctorem reprehendi dices, quod humanis legibus Diuinas antetulerit. Sed & expressa verba

e *Responsione ad Doctorem Theologum de causâ Venetâ, ad propositionem tertiam.*

repre-

reprehensionis vt audisti, grauiter & iniquè ferunt, quod Canones absolutè leges humanas vocet: vnde addit, *Ecclesiam eosmet Canones seu regulas, mediantibus summis Pontificibus, aut sacris concilijs, à spiritu sancto præscriptas venerari.* Quos Magister trismegistus Scholæ vestræ Iesuiticæ, à spiritu sancto præscriptos Canones asserit, tu facis speciem esse iuris humani: nec metuis quòd *temeritatem* hanc dicat *quæ impunis prætereunda non sit*, & *contemptum ex ore viri Catholici nunquam auditum.* Pluris tibi bimembris diuisionis concinnitas: quàm vt malum à Magistro circumspiceres.

§. 2. Expeditâ vtcunq; diuisione iuris, ita tandem disputas: *Ipse*, inquis, *alibi fatetur, solo iure veteris Testamenti deberi regibus primatum Ecclesiæ: ergo non debetur regibus omni iure, non iure naturali, non Diuino noui Testamenti, non Canonico, non ciuili.* Ad responsionem quæ in promptu est, nusquam apud Episcopum dici solo iure Testamenti veteris primatum Ecclesiæ, regibus deberi, recitas ex [f] Torturâ, *Amore institutoq; Israëlis orditur Apologia: inde enim vim habet, atque neruos quæstio hæc omnis.* Hic (inquis) affirmat hanc quæstionem non aliunde vim habere, quam à more Israëlis: at vbi in verbis Episcopi istud tuum *non aliunde?* inde quidem ait, sed quid hoc ad tuum non *aliunde?* omnia sata & sponte nata vegetantur à pluviâ, an ergo non etiam à sole? omnis facultas in quoque genere vim habet à naturâ, an ergo non etiam à disciplinâ? nec enim totam quæstionis vim, sed toti quæstioni vim, atque neruos esse vult à more institutoq; Israëlis.

f Pag.363.

Hâc

Hâc non successit, aliâ aggrediendum viâ. *Si in nouo Testamento (vt eodem loco apud Episcopum habetur) nusquam in vnum coaluerunt Ecclesia atque imperium; ergo (inquis) iure noui Testamenti, non necesse est in vnum coalescere: Ergo non omni iure.* Vide quàm hîc liberaliter agamus. Dam⁹ quod vrges: non est necesse omni jure. damus vlteriùs: non est necesse iure vel veteris Testamenti: non omnino vllo iure diuino necesse, vt hi duo status in vnum coalescant. Si enim iure diuino necesse hoc esset, etiam tempore Apostolorum coaluissent: etiam penes Turcam Ecclesiæ, Christianorum, per imperium Turcicum dispersæ in vnum statum cum Regno coalescerent. Id tantùm dicimus, non sub omnibus regibus, sed sub omnibus regibus Christianis, omni iure necesse vt hi duo status in vnum coalescant. Ad posteriorem consequentiam, vbi supponis, si non iure noui Testamenti, tum non omni iure: ne erres: vnum est ius vtriusque Testamenti: nec enim vt species vnius generis, sed vt partes vnius integri, distinguuntur vetus & nouum Testamentum: itaque quod iure Naturali, Ciuili, Canonico, & iure veteris Testamenti regibus competit, rectè dicitur omni iure competere. Satis enim vt quid omni iure debeatur, si nullum sit genus iuris quo non debeatur: vtque non impedit, quin iure omni debeatur, quod fortè iure codicis, aut iure Clementinarum, non debetur: modò tamen iure digestorum, aut iure decretalium debeatur: ita nec siquid fortè non iure noui Testamenti, modò tamen iure veteris. Ad priorem consequentiam cuius hæc vis, *nusquam in nouo exemplum huius coalitionis,*

nis,ergo nusquam præceptum: nihil dico nisi, *auditum admissi risum teneatis amici*: vel siqui magis stomachabundi, sibilum.

Pergis fluctu tertio irruere: *& sanè*, inquis, *si nunquam antea in nouo Testamento, quomodo nunc in Angliâ tam serò in vnum coalescunt? hic*, inquis, *seipsum plane constringit*. Tu verò non constrictus, sed solutus ac liber, *vincla omnia rumpis*, non modò rationis, sed etiam sensus communis, & Sermonis. Quid enim istud nunquam antea *in nouo*, aut nunc serò *in nouo* Testamento? idem certè quod nunquam antea sub nouo, & nunc serò sub nouo: at præcedentes clausulæ istud *in nouo*, vsurpant pro eo quod est, *in libris noui Testamenti*: nec aliter verba Episcopi cuiquam sonant: *exemplum in nouo nullum*, id est in *libris noui*: tu tamen ita nunc tandem arripis, quasi negâsset vnquam aute nostram ætatem, ex quo promulgatum est Euangelium, exemplum huius coalitionis in vllâ historiâ reperiri. Atque ita bellè in ambiguo quasi quædam in angiportis prostans in nebulâ lineâ, satis tectus tibi videris.

§. 3. De re quam hîc è longinquo salutas tuo more, & quasi cœcus circumpalpas, *vtrùm iure noui testamenti primatus in Ecclesiam regibus debeatur*; ne erres [g] cum Torto: quasi testimonijs jis quæ ex Nouo testamẽto in Apologiâ regiâ [h] recitantur, pro potestate in quosuis etiam Ecclesiasticos homines, ita nitamur, vt nihil aliud inde inferamus, nisi quod regibus Paganis atque infidelibus, æquè ac Christianis, primatum Ecclesiæ in rebus spiritualibus attri-

g Pag. 143.
h Pag. 112.

attribuat: disce ex Tortura,[i] vbi ad hunc locũ Torti respondetur: doceri his testimonijs aduentum Christi de auctoritate regiâ nihil *imminuisse: quin iysdem (vt Constantino) si Christiani fiant, idem iuris sit in Ecclesiam, in nouo testamento quod in vetere Iosiæ fuit, reditus statim fiat* (& hoc ex ipsa voce noui testamenti) *ad iura regum Israel, quam primum facti sunt reges Israel dei*: Si enim Paulus, accusatus offensi non modo in Cæsarem, sed etiam in legem & in templum, Pontificis iniquitati obrenuntians, Cæsarem rectè appellauit: si idem omni animæ, [k]nec Apostolis nec sacerdotibus exceptis, precipit, vt Magistratui ciuili etiam infideli, non modò ob vindictam (id est quia desunt vires ad resistendum pœnas sumenti) sed etiam διὰ τὴν συνείδησιν se submittat: quis non hinc intelligat, generalem eiusdem Pauli regulam [l] *exempla populi Iudaici ad nostram* νουθεσίαν *nobis in scripturis proponi*, hic quoque tenere: vt Christianis regibus cum regibus synagogæ æqualis atque eadem constet auctoritas in Ecclesiam dei? Ita ex testimonijs illis in Apologiâ regiâ recitatis, disputamus pro primatu regio (vt vides) per argumentum a majore: quo modo nos [m]Chrysostom⁹ in locum illum ad Romanos disputare docuit: sicque simul vim neruosque huic omni primatui *ex more institutoque* Israëlis deducimus: & tamen eundem etiam jure noui testamenti regibus deberi contendimus.

i Pag. 377. *Similiter pag.* 379. *Nos verò (inquit) Testamentum nouum a vetere non diuellimus: habuerũt Reges in vetere Primatũ suũ: atq; inde nerui sunt & lacerti caussæ nostræ. In nouo deteriore iure non sunt: sub eâdem ergo cõditione, &c.*

k Chrys: *in hunc locum* πᾶσι ταῦτα διατάττεται ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον· κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν.

l 1. *Cor.* 10. *vers.* 6. & 11.

m εἰ γὰρ Ἕλληνας ὄντας τότε τῶν ἀρχόντων ταῦτα ἐνομοθέτησε, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῶν πιστῶν τοῦτο γίνεσθαι χρή.

Cap. VII.

Pro tertio Paradoxo obijcis, quasi dixerit Neminem adhuc negâsse, reges veteris testamenti habuisse primatum Ecclesiæ. Bec. pag. 10. Tortura 364.



Vid vestri homines negent, ad sententiam vestram statuendam, parum certè interest, quid rectè negent, plurimum. Tu (vt soles) omisso quod plurimum interest, quod parum interest, arripis: vel potius leuiter & veteratoriè attingis. Quidni enim siquid ingenuè agendum proposueras, cum tā multi sint ex vestris, qui Pontificis in Synagogâ potestatem spiritualem fatentur minorē Regiâ fuisse, vel glossam & reconciliatricem interpretationem tuam ad horum sententias adhiberes: vel saltem alteram apud vos communiorem sententiam & receptiorem ostenderes? Audi [a] Salmeronem Iesuitam: *Differendum*, inquit, *de potestate Ecclesiasticâ, missâ potestate spirituali legis naturæ, vel Mosis: quæ minor erat Regiâ potestate in veteri testamento, & ideo etiam summi sacerdotes regibus subdebantur, sicut etiam apud gentiles.* Vide & Iosephum Stephanum Episcopum, Sixti quinti adulatorem summum: [b] libro de osculatione pedum summi Pontificis. Vbi regibus quidem Israëlis sacerdotes subjectos fatetur: pro vestris autem sacerdotibus contra reges in temporalibus præscriptionem valere vult: eandem esse sententiam

a Comment Tom. 12. tract. 63. §. sed nunc pag. 418. vide etiam Iohannē Parisiensem de potestate Regiâ & Papali c. 19

b Cap. 16. §. quare.

c Cap. 31. Quest. Practicarum concl. 2.
d Ad doctoris Anonymi propositionem. 4.

tiam[c] Couarruuiæ de regibus ſynagogæ, vide[d] Bellarminum in cauſa Veneta confitentem. Nec alio certè fundamento magis nixi, ex veſtris qui negant clericos jure diuino exemptos poteſtate ciuili, quorum vt ſcis nominantur inter vos longè plurimi: nec ij modò vel ex Eccleſiâ Venetâ, quæ nuper, vel ex Gallicanâ, quæ ſemper in toto pene genere harum quæſtionum Pontifici veſtro reſtitit: ſed ex alijs etiam eccleſijs: etiam ex Hiſpanicâ Franciſcus de victoriâ, Dominicus Bannes, Medina, Ledeſna, Sotus. Nec negabis (credo) ſi veſtris principijs ſteteris (qui in ſupremâ poteſtate de rebus ſpiritualibus, poteſtatem quoque diſponendi res temporales, ſaltem indirectè, & quoad ordinem ad ſpiritualia comprehenditis) quin Pontifex ſummus Synogogæ ſi in temporalibus abſolutè, ſubditus Regi fuerit iure diuino, etiam in ſpiritualibus abſolutè ſupremus non fuerit.

§. 2. Sed iſta viderint quibus nugari propoſitum non eſt: tibi ſatis, ſi quid extra cauſæ momenta carpere forte poſſis, vnde apud tuos de auctoritate aduerſarij tui non nihil detrahatur. Itaque quod huiuſmodi propoſito bene conuenit, initium iterum facis a mendacio. *Ait* inquis, *neminem adhuc negaſſe Reges veteris Teſtamenti habuiſſe primatum Eccleſiæ:* imo verò (teſtis ipſa apud te verborum recitatio) hoc tantum ait.[e] *In Iſraele, nondum os ſibi repertum tam durum, quod negare etiam auderet præcipuas in re religionis partes penes Regem extitiſſe: vel vno hoc argumento* (addenda enim ad integram recitationem quæ ſequuntur) *quòd per ſacræ Hiſtoriæ ſeriem totam, mutato noui Regis animo, mutata ſemper*

e Pag. 364.

per

per est facies religionis: eaque in religione mutatio Regi semper ascribitur, vt factum eius: nec Pontifices vnquam vel præstare poterant vt fieret mutatio in melius, vel ne fieret in peius, impedire: hucusque recitationi tuæ progrediendum fuerat: vt ex integrâ periodo de Scriptoris sententiâ iudicari certius posset.

Ac primum quidem, vel ex tuâ recitatione vt est curta & mutila, liquet de mendacio tuo: non enim ait neminem adhuc negasse: sed sibi quidem nondum repertum: nec simpliciter neminem sibi repertum, qui negârit, sed nondum os tam durum quod negare etiam auderet. Quid enim si tibi reperti ex vestris aliqui oris tam duri? an ergo Paradoxi aut falsi condemnandus, qui neget sibi repertos? vt qui vel non omnes vestros legerit, vel ita legerit, vt alquid tamen in ijs inueniri possit quod vel diligentiam ejus subterfugerit, vel saltem ab eo ita intellectum fuerit, vt ad saniorem potiùs restrorum hominum sententiam, quàm ad propriam auctoris mentem dictum acceperit? Adhæc, si veperisti qui timidiusculè hoc neget, & statim deserat hanc responsionem, & ad aliud effugium se conferat (id quod tu de tuis quos duplici responsione niti vis, haud facile negaueris) an ergo reperisti os tam durum, quod auderet negare? vt enim illud, *aude hospes contemnere opes*, plus est, quàm *contemne*: sic istud, *quod auderet negare* plusquam *quod negaret*.

§. 3. Et *Bellarminus* quidem [f] cuius solius verba recitas, quàm parùm audeat hoc negare, testem appello recitationem tuam: cuius hæc summa. Reges Synagogæ alios fuisse sacerdotes aut Prophetas

[f] *De Concil. lib.1. cap.20.*

&

& ex hac auctoritate extraordinariâ, eosdem egisse quædam, quæ à nostris pro primatu Regio vrgentur: vides hic ne ipsum quidem negare, quin Reges (puta aliqui quacunq; id auctoritate fuerit, de quo vlterius quærendum in verbis Episcopi relinquitur) sese gesserint vt gubernatores in rebus spiritualibus: addit *alios Reges Synagogæ, qui boni fuerunt, nunquam se immiscuisse in negotijs sacerdotalibus: & si quando se immiscuerunt, punitos fuisse:* postulauerat ratio huius sententiæ posterioris vt diceret, *nunquam sese ita gesserunt ac si primatum in rebus spiritualibus iure Regio vendicarent.* Pro hoc (quod si auderet, credo, dixisset) nihil dicit nisi quod libenter damus, *nunquam*, inquit, *se negotijs sacerdotalibus immiscuerunt.* Et quis nostrum hoc negat, bonos Reges Synagogæ, negotijs sacerdotalibus (quæ omnia clarè ab officijs primatus Regij distinguimus) nunquam se immiscuisse? & hęc quidem, præter eam quam dixi concessionem, prima huius auctoris tui timiditas: cùm pro eo quod ex aduerso nostræ sententiæ dicere debuerat, nihil dicit, nisi quod nemo nostrum negat.

Adhæc, cùm dicit, bonos Reges si quando se immiscuerunt negotijs sacerdotalibus (id est ex tuâ sententiâ, si quando sibi primatum in Ecclesiâ suo iure sumpsere) punitos fuisse, non ne qui vituperat, cum dicit punitos, vituperationi suæ derogat cum dicit bonos? de bonis enim hoc dici necesse: cum vis sententiæ istud ἀπὸ κοινοῦ euidenter repetat: vides ergo alteram timiditatem, non satis audentis istud de quo agimus negare. Ecce verò & tertiam: *nunquam*, inquit, *se immiscuerunt, & si se immiscuerunt,*

runt, puniti fuerunt: quos verò hîc punitos ſupponit ſe immiſcuiſſe? eoſdem certè, quos eodem ſpiritu negat ſe immiſcuiſſe. Quid hoc homine timidius? quem tamen ita negandi audacem eſſe vis, quemque pro exemplo cæterorum, quorum verba non recitas, proponis: vt ex vno hoc de cæteris iudicemus. Et iudicabimus quidem vt vis ex hoc vno: in re præſertim momenti ad cauſam (vt dixi) perexigui: infinitum enim eſſet, ad omnia quæ ſe obiter offerunt deflectere.

Tantum de hoc vno, vt adhuc vlteriùs videas, quàm parum audeat negare id, de quo agim⁹; adde quod cum dicit punitos, qui ſe immiſcuerũt negotijs ſacerdotalibus, Vzziã ſine dubio intelligat: qui ob hanc audaciã percuſſus leprâ. Hunc enim ſtatim nominat: at hîc non modò poteſtatẽ de reb⁹ ſpiritualibus, ſed ipſam etiam poteſtatem ſpiritualẽ, (id eſt ſacerdotalem) & vt ibidem *Bellarminus* loquitur, ſacerdotium ſibi vendicauit. Ita ſi ab exemplo, quod pro cõfirmandâ ſuâ ſententiâ profert *Bellarminus*, petenda ſententiæ expoſitio: hoc ſolum ait: regibus Synagogæ, non licuiſſe fungi ſacerdotio. Atqui hoc ab eo quod (niſi parùm auderet) voluerat dixiſſe, abeſt quàm longiſſimè. Non enim dicimus penes eos fuiſſe, vt fungi poſſent officio ſacerdotum: ſed vt præeſſent ſacerdotibus officio ſuo fungentibus: & vt curarent à ſingulis officium ſuum fieri. Nec in vllo ſanè genere præſidentis aut gubernatoris eſt, cæterorũ officio fungi: ſed id agere, vt ij quib⁹ præeſt, officijs ſuis ſinguli fungantur.

Sed & alibi apud eundem *Bellarminum*, vbi de regibus Synagogæ diſputatio eſt, vide ſi non pari

g *De Pontif. lib. 1. cap. 7.*

h *Becanus pag. 11. Non ordinario iure tanquam Reges sed quatenus simul erant Prophetæ aut Pontifices.*

hæsitatione offendit. g *Respondeo* (inquit) *egisse eos quædam extraordinaria auctoritate, non tam vt Reges quam vt Prophetas.* At cur non respondet rotunde, non vt Reges sed vt Prophetas? istud enim *Non tam vt Reges*, fatetur etiam vt Reges. *Non tam turpe fuit vinci, quàm contendisse decorum est:* fatetur (non negabis) qui sic loquitur etiam turpe fuisse vinci: cur ergo non dixit diserte, h *Non vt Reges?* Cur? nisi quia quantùm tibi præstitit scientia, tantùm tibi cessit audacia? nouit plurimis, & antiquis, & recentiorib⁹, aliã fuisse sẽtẽtiã: itaq; quod nec tutò poterat confiteri, nec sine impudentiâ negare, ita timide negauit, vt potius voluisse hoc negare, quàm ausus fuisse videatur.

§. 4. Quòd in extremo huius loci, remittas nos ad alium quendam librum tuum, quasi causas ibi assignes, cur *etiamsi daretur Reges veteris Testamenti primatum Eccesiæ habuisse, non tamen sequeretur, etiam noui Testamenti Reges eum habere (cuius,* inquis, *rei varias assignant causas: vnde addis, vide quæ in eiusdem argumenti solutione à me dicta sunt in refutatione Apologiæ Regis Angliæ cap. 2.)* Equidem nec de varijs hisce causis, nec omnino de vestrorum hominum consensu contra nostram sententiam, quicquam apud te eo in libro legere memini: sed quòd quasi non sponte ituros mittas, nos ad hunc quoq; librum (in quo nihil magnum, præter titulum) non admodum credo multos, qui tuo missu gratis proficiscantur, inuenies: nisi forte, qui *ex vico vendentum thus & odores.* Nos quidem quos breuiculus hic tuus libellulus, stultitiæ tuæ tædio, iam pœné enecat, vel ad breues Gyaras relegati,

non multò inuitiùs pareremus. Sed quoniam huc remittimur, vbi hęc lego, *Multi*, inquis, *putant Salomonē peccâsse sacerdotem Abiatharem expellendo*: hos multos cùm intelligas ex vestris doctoribus, necesse multis vestrorum non probari præcipuum illud tuæ & cęterorũ (quos hoc loco laudas) sententiæ fundamentum, à *Salomone* non vt Rege sed vt Prophetâ amotũ *Abiatharē* & *Sadokum* cõstitutum sacerdotum Principem. Sed de his rebus alius credo erit, cui à te rationem reddi oportebit.

Mihi nunc postremò admonendus es, eius quod omnium minimè omittendum: Vel si longè plurimi vestri doctores aliàs negarent, idq; confidentissimè, *præcipuas* (aut vllas) *in re Religionis partes penes Reges Synagogæ fuisse*: nihil tamen inde, cur Episcopi verba initio proposita reprehendas. Non enim simpliciter dicit, neminem à se repertum, qui hoc auderet negare: sed neminē eorũ qui illud quod statim additur vnum argumentum attenderent, tam durioris à se repertum quin etiam vel inuitus concederet, præcipuas in re Religionis partes fuisse penes Regem: puta penes illum Regem ad cuius voluntatem, ea (de quâ loquitur) in re Religionis mutatio fieret. Clara hęc sententia Episcopi, ex integrâ quam proposui periodo: *Nondum*, inquit, *reperi os tam durum, quod negare hoc auderet, vel vno hoc argumento, &c.* Id est quod vel vno hoc argumento proposito, vlterius negare auderet. Ita quicquid vestri homines negant alibi, non refert: a se quidem profitetur, adhuc repertum neminem, quem hoc argumentum propositum non moueret: friget ergo quicquid de *Bellarmino, Stapleto-*

no, Gretſero, Sandero, Tannero, non parùm hîc audentibus regeris: niſi cùm ad hoc argumentum attendunt (quod nuſquam apparet) ſimiliter etiam negando rem manifeſtam, audent ſe irrefragabili veritati opponere.

CAP. VIII.

a Becanus p. 13. Tortura 53.

Pro Paradoxo quarto [a] *obijcis, quod dicat, Reges noui Teſtamenti eſſe Paſtores ouium Chriſti.*



T in vtrâq; priore diſputatione initium tibi à mendacio: ita hîc quoquè antiquum obtines. *Ait*, inquis, *quamuis verba illa paſce oues meas*, Petro *dicta ſunt, tamen etiam ad Reges Chriſtianos pertinere: ideo autem illis dicta non eſſe, quia tempore Chriſti nulli erant Reges Chriſtiani, quibus cura ouium committi poſſet.* Ad hæc docenda recitas verba Epiſcopi: *primùm ex pag.* 53. *Rex noſter eſt dux gregis ſub Chriſto paſtorum Principe: ſunt & alij Reges Chriſtiani ad vnum omnes, ſua ſi iura noſſent, & vel vires ijs, vel anim⁹ non deeſſet.* Deinde ex pag. 91, alium locum recitas longiuſculum: vbi quicquid ad propoſitum trahi poteſt, duabus fere poſtremis clauſulis comprehenditur. *At vbi Reges Chriſto nomen dederant, tum demum non minùs Paſtores hi, quàm olim Reges Iſraelis. Quòd ſi autem ab initio ſtatim nomen Chriſto dediſſent, nulla ratio, quo minùs gregis Chriſti Paſtores deſignari potuiſſent.* His ita propoſitis ordiris: Non vnum hîc, ſed

ſed multa Paradoxa: Ego viciſſim: non vnum hic Becani, non vnum, ſed duo mendacia: Cum enim duo ſint in Epiſcopi ſententiâ, *alterum* Reges Chriſtianos eſſe paſtores gregis Chriſti, non minus quã Reges Iſraëlis: *alterum* Reges vel ab initio Eccleſiæ Primitiuæ deſignari potuiſſe paſtores ouium Chriſti, ſi quidem tum Chriſtiani fuiſſent: Tu pro his duabus propoſitionib⁹ veris & manifeſtis, duas illas Epiſcopo, falſas & odioſas, quas initio recitaui, obtrudis. Vtraq; eâdem fallaciâ vocis ambiguæ cerußata, perquàm lepidè ad odium conficta tibi videtur, & quaſi gemina germana vtriq; ei quã dixi apud Epiſcopum eſſe: cùm abſterſo ambiguo, quaſi retritâ cerußâ, vtraq; planè diſcolorẽ ſe, & diſſimilem oſtendit: de poſteriore poſt ſemel propoſitam, nihil addis: idem enim vtriuſq; odium, fraus eadem, & qui vnam admittit, ambas admiſerit: etiam qui refutat vnam, ambas refutauerit: ideoque & mihi quoq; ſatis de priore tantum dicere.

Priorem illam, *verba illa quæ Petro dicta ſunt paſce oues meas, etiam ad Chriſtianos Reges pertinere*, quomodo probas Epiſcopi eſſe? Nam in verbis ex Torturâ recitatis nihil huiuſmodi ſe oſtendit: nec vnde hoc colligas quicquam, niſi quia Reges Chriſtianos vult eſſe *Paſtores ouium Chriſti*: nec dubium quin ex hoc vno illud effinxeris: inſtitue ergo rationẽ, vt videamus, quâ tandem neceſſitate illud ex hoc inferas. Sic enim niſi mendacij reus confitebere, neceſſariò tibi diſputandum. *Ad omnes paſtores gregis Chriſti, pertinent verba illa quæ Petro dicta ſunt, paſce oues meas. At Reges Chriſtiani, ex Epiſcopi ſententiâ, ſunt Paſtores ouium Chriſti: ergo*

ex eiusdem sententiâ verba illa quæ Petro dicta sunt, pasce oues meas, pertinent ad Reges christianos. Miserum te, qui in maiore huius syllogismi tui, primatum Papalem, cui totum te addixisti, turpiter euerteris: certè enim & [b] Presbyteri & Episcopi Pastores ouium Christi: vel si soli Episcopi Pastores, vt vult [c] Bellarminus, tamen in ita multis, ad quos dictum *pasce oues meas*, communi iure pertineat, quomodo tandem vel Petro vni, vel solis Petri successoribus, ex hoc dicto ius tam supereminentis primatus constituatur? Satis credo iam libenter dabis, falsam esse maiorem tuam: ideoquè falsò à te imputari Episcopo, quasi ad Regem trahat verba illa, quæ Petro dicta sunt, *pasce oues meas*. Non enim verba illa statim pertinent ad omnes, qui recto aliquo sensu dici possunt pastores ouium Christi: sed ad eos modò, qui eodem sensu pastores, quo sensu ibi dictum *pasce*. De spirituali autem pastione ibi Christus: ideoquè verba illa tantùm pertinent ad pastores spirituales: Mitte ergo ambigua: siquid vis seriò: mitte verba odiosa: accusa nos, non glossæ tuæ, sed sententiæ nostræ.

b *Alphons: a castr: contra heres: l.1.ca.6. Salmeron in Ephes.4. disput. 10.*

c *De concil. li. 1.cap.21.*

§. 2. Non placet: necesse enim aut nihil dicere aut in ambiguo ludere. *Quæro inquis si Christi tempore fuisset rex aliquis Christianus, an Christus dixisset illi, Pasce oues meas?* Respondeo, non quo sensu dixit Petro: sed alio tamen satis recto sensu. *Si affirmat*, inquis, *vnde constat? aut quis ante affirmauit? an hic primus est qui orbi Christiano hoc patefacit?* imo vero nullum hic tam arcanum mysterium: nec difficile dictu vnde constet. Constat ex Psalmo 78. vers. 72. vbi dicitur Dauid assumptus

ad

ad pascendum Israelem: constat [d] ex loco Samuelis de eodem Dauide: constat tertiò, ex eo quod de [e] Iosua legimus: [f] constat quarto, ex eo quod ad Cyrum Deus, *tu es pastor meus*: & quid hoc, nisi tibi committo pascendas oues meas? *Si Christus* inquis, *non dixisset Regi Christiano, pasce oues meas, quâ hic auctoritate dicit Iacobo Regi, pasce oues Christi: An Petrum ab officio pastorali repellit, qui a Christo constitutus est, & subornat Regem qui a Christo constitutus non est? audax facinus, & sacellano dignum scilicet.* Pellucidâ ambiguitate, sine omni materiæ soliditate inflata hæc verborum vehementia, suâ sponte euanescit: *inceptus clamor frustratur hiantem.* Primùm, si nescis, disce de verbo, *Subornantur* qui pecuniâ ad flagitium conducuntur: qui calumniâ ad accusationem, qui mendacio ad testimonium instruuntur: *subornari* Reges, & a sacellanis (vt vocas) ad officia suscipienda, non minus stultè & putidè, quàm indignè & malitiosè, dicis [g] ἐστὶ δ' ἄμμι φάμεν ἀμφὶ βασιλέων καλὰ· μείων γὰρ αἰτία.

d 2. Sam. 5. 2.
e Num. 27. 17.
f Es. 44. 28.
g Pindarus, ἀμφὶ δαιμόνων.

Sed neque repellit Petrum a suo, qui Regem agnoscit (quod tu subornare dicis) in suo *Pastorali munere.* Alioquin oportuerat *Dauidem* munus suum in pascendo Israële ex animo obeuntem, ante tempus *repulisse* Abiatharem, a suo *Pastorali munere.* Exclama hic quoque *audax facinus*, & Israële Dei *dignum scilicet*, vt Abiatharem *ab officio pastorali repellant, qui a Deo Pastor constitutus est*, & subornent Dauidē qui a deo constitutus non est. ὦ πέπον, αἰεί τοι μῦθοι φίλοι ἄκριτοι εἰσιν. Inepte, frigide exclamator de nihilo: nihil hic facinoris, nihil audaciæ: vtrumque munus ex phrasi Scripturarum, alio atque alio sen-

 su

ſu paſtorale: alterum ſine alterius iniuriâ ſe tuetur auxilio alterius: *alterius hic altera poſcit opē res, & cō-ſpirat amicè.* Nec minus alter altero (Rex ſacerdote) à deo paſtor cōſtitut⁹: hic paſcit miniſterio, ille imperio: hic verbo & cenſurâ, ille ſceptro & legibus: hic metu & ſpe futuri, ille præmio & pœna præſentibus: hic ſuadendo et docendo: ille iubendo & cogēdo: hic vt a Chriſto & de Chriſto & pro Chriſto legatus, ille vt a Deo, & ſub Deo & Dei Vice ordinatus, gregi Chrſtiano præſidet. Nec tu verò aude vel Ethnico Regi, negare nomē paſtoris populorū: ne vnâ veſtrum Gladiū Delphicū *paſce oues meas*, fateare parū vndiq; exacui à Bellarmino, qui omiſſo illo duplici βόσκε, in verbis Chriſti, vnū ποίμαινε ad regimē arripiens, hāc ſuā interpretationē, vel ex eo ſtabiliri putat, quod Homer⁹ Agamēnona dicat ποιμένα λαῶν quo ſenſu etiā Heſiodus, pugnatū ad Thebas propter oues Oedipodis, μήλων ἕνεκ' Οἰδιπόδαο. Quæ ergo tua hic amētia: qui Chriſtianis regib⁹ *paſtorū* nomen inuideas, quod [h] Bellarminus non modò, ex cōparatione variorū locorum noui & veteris Teſtamenti, commune rectorum & gubernatorum eſſe contendit: ſed etiam vt primatui Papali mel ùs cautū ſit, vel Ethnicis regibus concedendum putat?

[h] *De Pontif. lib. 1. cap. 15.*

§. 3. Quid ergo? (adiuuabo enim inertiam tuam, vt caput erroris veſtri indicem) qui Reges Chriſtianos ita facit *paſtores, & duces gregis Chriſtiani, ſub Chriſto paſtorum principe*, vt addat *iura ſi ſua noſſent, & vel vires ijs vel animus non deeſſet*, nihil ijs tribuit, niſi quod vel Ethnicis regibus competat? Si rectores modò intellexiſſet, quorſum addidiſſet Reges aliquos ignorare ius ſuum, quo minus hoc

ſibi

sibi sumerent, quod certè sumũt? quorsũ vt hoc recuperent (quod certe obtinent) addidisset, vel vires aliquibus, vel animum deesse? quòd si in pastorũ titulo regibus attribuẽdo plus significat, quàm quod pleriq; principes Christiani sibi sumunt, quomodo non pastores spirituales hoc loco intelligit? Respõdeo: quia præter pastorẽ Agamemnonẽ, & pastorẽ Petrũ, quorũ ille in solis tẽporalibus, hic in solis spiritualib⁹ pascat populũ, est etiã tertius quidã pastor Dauidicus, qui vtrique pastioni præsit: & in vtroq; genere non malè dicatur, pascere: & si potius videatur, ita loquendũ, vt in tẽporalibus ipse pascat populũ, in spiritualib⁹ autẽ curet pascendũ, & pastioni vt dixi præsit ex munere Regio. Nec tamen statim *spiritualẽ pastorẽ* dicimus, quia pastioni spirituali præest, aut etiam quia in spiritualibus ipse aliquo sensu non improprio pascere, id est regere, populum dicatur. Nec enim medicum statim dixeris qui medicis præest. Vt paucis rem cõplectar, *Satis causæ, cur Regem Christianum communi cum Petro pastoris nomine insigniamus, idque, ita vt à regibus pastoribus qui in parte Papæ sunt, eundem plurimum distinguamus, etsi eidem non tribuamus commune cum Petro pastorale officiũ: sed tantũ commũnẽ officij scopũ.*

Regum enim Christianorum munus (etsi propriè spirituale non sit, ideoque nec ipsi pastores spirituales) ita tamen pastorale est, vt eundem cum altero genere muneris pastoralis, quod Sacerdotale dicitur[i] scopum intueatur: in eodem officiorum scopo (vtcunque officia ipsa distinguantur) idem commune nomen, vel συνωνύμως, attribui posse, non negabunt dialectici: vnde &[k] Celsus homo iuris

con-

i *Vide responsionem ad Apologiam Bellarmini pag. 91. & 108.*

k *Initio digestorum.*

consultus, cum videret veram, non externâ specie, sed interno affectu iustitiam non minùs iureconsultis, quàm Sacerdotibus in animos hominum inserendam proponi: huius rei, inquit, *merito quis nos* (iureconsultos) *Sacerdotes vocet*: quò etiam pertinet, quod Martiano Imperatori Papa[l] Leo primus gratulatur *in Christianissimo principe Sacerdotalem affectum*: &[m] in altero precatur *conseruari animum eius Apostolicum & sacerdotalem*. De Zenone quoque Imperatore *exultamus* (inquit Papa [n]Simplicius) *vobis inesse animum sacerdotis & principis*. Similiter Aurelianense primum concilium, in Clodouæo laudat sacerdotalem mentis affectum: quod conuentum Ecclesiasticum indixerat. Et Papa Iohannes Octauus, Lodovicum Caroli filium, *cooperatorem vocat sui certaminis*. Etiam Monarchomachorum pater [o] Gregorius septimus, duas hasce potestates, *duobus corporis oculis* assimulans, ambarum τὸ ὁμογενὲς & quasi congenerem naturam & ad eundem finem auxilium mutuum, indicat.

l Ep. 70.

m Ep. 75.

n Ep. 14.

o Ep. 19.

> Ἀμφῶ ἡμιτελεῖς πρὸς ἑνὸς φύσιν ἡρμόσθησαν:
> Τἄλλα τε ἀλλήλοις ἀντιπαρεχόμεθα.

Nec aliunde dixeris, quod a [p] Balsamone notatum agnoscit [q] Binius vester, *Imperatores Orthodoxos, quia sunt Christi Domini, habere etiam pontificales gratias*. Idem Binius alibi notâ marginali, *Imperatores* [r] inquit, *sacra & secularia ex aquo curant*. Et primis quidem mundi ætatibus sacerdotium cum imperio, ob finitima officia, & eundem vtriusque officij scopum, videtur coniunctum fuisse. Vnde & apud Hebræos idem nomen *Cohen* & principibus & Sacerdotibus. Et apud poëtas *Rex idem hominum*

p *Ad Canonem concilij Quinosen. in Trullo cap. 69. anno. 692.*

q *Tom. 3. parte 1. fol. 256.*

r *Tom 1. fol. 831.*

num Phœbique Sacerdos: & [f] Orator, diuinitùs à maioribus institutum laudat, *quod eosdem & religionibus deorum immortalium & summæ reip. præesse voluerunt.* Sic quoque & Persarum [t] & Ægyptiorum sacerdotes: adde & Britannorum Gallorumque veterum, qui Druidę (vt scis) dicebantur, ijdē & rempublicam & religiones procurabant. Etiam cum ex lege Mosaicâ distinctus tandem esset à sacerdote magistratus ciuilis, permansit tamen in munere sacerdotis, de iure respondere. Satis hæc opinor ne in re clarâ longiùs excurram, vt videas non rectè à Bellarmino, [u] in disputatione de Papali potestate Reges deponendi, pro confesso & indubitato sententiæ suæ fundamento sumi (id quod nos quidem iustissimè negamus) politicæ potestatis Christianæ finem temporalē & terrenum esse: aut omnino distinctum esse harum duarum potestatum finem.

f *Cic: pro domo suâ.*

t *Cæsar in Commentar.*

u *De Pontif. lib. 1. cap. 7. vide hunc Becanum quæstionibus miscellaneis p. 42 quæst 5. vbi similiter principium petit in descriptione finium & obiectorum.*

§. 4. Probandum hoc ei (vt iam exsoluam quod promisi de capite erroris vestri indicando) etiam stabiliendum, & solidandum prius fuerat, quàm huic infido & arenaceo solo, reliqua illa antiquis inaudita dogmata, & pacis publicæ inimica exædificaret. Ex eo enim quod Sophistæ notam minimè veritus, precariò sumat, quod controuersum est, finem politicæ potestatis in republicâ Christianâ esse felicitatem temporalem, statim infert hunc finem in vno Regni aut reip. corpore, subordinari fini potestatis Ecclesiasticæ: vnde cùm facultates ita subordinentur, vt subordinantur fines, & superior facultas inferiori seu subordinatæ leges præscribat: facilè colligit, etiam Ecclesiasticæ potestati subordinari & subijci potestatem po-

liticam: & ita subijci, vt huic illa leges præscribere, ipsosque principes politicos ad reddendas rationes, adeoq; etiam ad potestatem abdicandam adigere possit. Hæc omnia ex peruersâ finiũ descriptione, quã & cõtra philosophiã, & contra Theologiã sumit ἀναπόδεικτον. Contra Theologiã, quia impiũ est & ἀθεόλογον dicere Christianam politeiam[x] non proponere sibi præstantiorem finem, quàm proposuit illa olim, quæ fuit gentilium: quibus Deus verus, & æterna vita incognita. Contra philosophiam, quia philosophis opus præcipuum Politici, virtutem veram, quæ in interiore animi habitu (quo sanè nihil est magis spirituale) in animis ciuium figurare atque alere: etiam Philosophis Politicæ finis summa felicitas: quam in eo statuunt quod sit τῶν πρακτῶν finis vltimus, idemque omnium rerum parabilium præstantissimum: id quod nisi quis omnino ἄθεος esse voluerit, in rebus temporalibus aut naturalibus nunquã collocabit. Nam quod *de toto homine subiecto Politicæ potestatis, quà terrenæ felicitatis capax est, & eodem toto subiecto potestatis Ecclesiasticæ, quà capax est æternæ felicitatis:*[y] apud Episcopum nostrum mentio est: ne putes hanc ab eo duplicis subiecti differentiam, ex suâ, sed ex vestrâ sententiâ poni. *Vestri* (inquit) *hic homines animaduertunt totum hominem vtrique potestati subiectum.* Vnde etiam ex vestrâ confessione sumens quod sequitur, cõcludit non rectè à vobis, vt principibus politicis Ecclesiasticos præferatis, ita distingui subiectum (seu obiectum) vtriusque potestatis, ac si Ecclesiastica animos & corda potissimùm regat (vt vult Bellarminus ex male intellecto[z] Nazianzeno) politica autem

x *Becanus loco supra notato: Iurisdictio temporalis seu politica ordinatur ad finem naturalem: altera ad supernaturalem.*

y Pag. 386.

z *Responsionem ad locum Nazianzeni paucis vide in Torturâ pag. 387. Præsidi (quem Nazianzenus alloquitur) cui prouinciæ in ciuilibus modò curæ est, rectè comparari Episcopum: Regi non rectè, cui in vtrosque cura incumbit cui vtriusque & Amariæ & Zabadiæ designatio est: vide plura in Responsione ad Apologiam* Bellarm*ini pag.* 91.

tem

tem in corporibus vim ſuam omnem habeat. Certè enim non modò ſacerdotes, per Euangelij prædicationem & ſacramentorum adminiſtrationem, ſed & principes, per iuſtarum legum promulgationem & executionem, cooperarij ſunt dei ad mouendos hominum animos. Inuitant illi intrare, hi cogunt: vtriuſq; miniſterio, qui initio coactus (ideoque deo ingratus) cultus fuerat, tandem fit voluntarius: quòdque eò vſque in corpora ſit poteſtas Politica, vt vel inuitos poſſit cogere, non facit (vt vultis) ad minuendam ſed ad augendam excellentiam. Quēadmodum etiam quod cetera quoque temporalia procuret, ſuperadditum enim bono bonum (potentia autem omnis [a] in genere boni) non detrahit, ſed addit præſtantiam: nec tamen, quin & alteri poteſtati plurimum dignitatis relinquatur: cui etſi minus iuris ſit in corpora, nec omnino ius cuiuſquam cogendi, aut ius vllum in temporalibus, in eo tamen abundè præſtantiæ eſt, quod præſentiorem annexam habeat in Sacramentis & reliquis diuinis miniſterijs, adiutricem ſancti ſpiritus gratiam.

a *Ariſt. Topic.*

§. 5. Redeo nunc a ſerijs ad tua, id eſt, ad contraria: vides, quâ veri euidentiâ contra fundamentum ſententiæ Bellarminianæ. pro Papali Regum depoſitione ſtatuamus in republicâ Chriſtianâ, Regem & ſacerdotem, etſi officijs plurimum diſtinguantur, vtrumque tamen ad eundem finem & ſcopum intueri: vnde cùm denominatio ſæpe a fine ſit, nihil mirum, ſi qui fine communicant, eorũ vterque nonnunquam communi nomine *paſtoris ouium Chriſti* gaudeat. Hæc tu nihil attendens, pergis vt cœpiſti, in ambiguo ludere: hac nebulâ fretus, quaſi

si nostris oculis impenetrabili, Chrysippus Moguntinus, interrogationum non acuminibus, sed festucis aduersarium lacessis, atq; adeo cornicis ipsum oculum configis.

b *Becanus p.14. Iterum quæro quid hoc sit pasce oues meas. Tu quidem p.52 interpretaris de pastione verbi & doctrinæ, & sit sanè ita: at idem pag. 380. fateris Regem non pascere oues Christi verbo & doctrina. ergo Rex, ex tua concessione, non est Pastor ouium Christ. Nec illa verba pasce oues meas, eo sensu quo à Christo prolata sunt, possunt ad Regem pertinere. Hic non expedies te sat scio.*

[b] *Iterum*, inquis, *quæro quid hoc sit pasce oues meas:* si quæris de eo quod Petro dictum est, respondeo vt ex Torturâ recitas, de *pastione verbi & doctrinæ.* Non probas: vis enim idem esse quod *Rege & guberna:* sed quia hoc pro nobis (quid ni enim Regi dicatur, Rege & guberna?) non quidem concedis: sed, per tuum illud, *sit sanè ita*, supponis, verè à nobis exponi de pabulo verbi & doctrinæ: ad hoc assumis ex alio loco Torturæ, Regem non pascere verbo & doctrinâ: vnde concludis, *illa verba, pasce oues meas, eo sensu quo à Christo prolata sunt, non posse ad Regem pertinere.* Et hoc quidem damus: sed cùm addis ex ijsdem præmissis, *ergo Rex non est pastor ouium Christi*, negamus hoc ex illis sequi: vt enim non sit *eo sensu pastor, quo sensu dictum Petro pasce*, at alio sensu quem supra exposui pastorem esse, quid vetat? *Hic non expediet se*, inquis, *sat scio:* admirabiles quasdam pedicas dicis, vides vt verbo se expedierit, quasi reticulo araneæ. *Aut fateri*, inquis, *necesse est verba illa non intelligi de pastione verbi & doctrinæ, aut Regi conuenire vt pascat verbo & doctrinâ, aut Regem non esse pastorem ouium Christi.* Quid faciemus hoc trilemmate? hoc tridente? adde dentem quartum, vel eum quem Castell⁹ vester excussit, & salua res: aut ex tribus illis vnum esse necesse est, aut saltem aliud esse genus pastionis quàm verbo & doctrinâ: aliud genus esse si dederis, facilè vides posse Regem dici pastorem

rem ouium Christi, etsi non pascat verbo & doctrinâ. Si negaueris genus esse aliud, audi quid dicam stylo tuo. *An tu* Papã, qui iamdiu nec verbo pascit nec doctrinâ, *ab officio pastorali repellis*, & *subornas* fratres prædicantes? *Audax facinus*, & Iesuitâ *dignum scilicet*. Caue ergo neges aliud esse genus pastionis, prætcrquã illud, verbo & doctrinâ: quod si cogitasses, & non simul nostræ patientiæ quiduis tuto imponi putasses: nunquam hic Episcopum gloriosus nugator interrogares, *quò tandem euaderet*: habet enim non euasionis latebram, sed propugnaculi fiduciam: respondet abscisse. Duplicem esse pastionem ouium Christi in spiritualibus, alteram spiritualem de quâ solâ Christus ad Petrum, alteram politicam quam Regi attribuit.

§. 6. *Tertiò*, inquis, *quæro, quare alij Reges Christiani non vsurpent sibi officium pastorale, si verè pastores ouium Christi sunt?* Respondes nomine Episcopi, facerent (id est vsurparent) *sua si iura nossent, & vel vires illis, vel animus non deesset*. Vsurpationis nomen etsi suâ vi non nisi multum & frequentem vsum notat: tamen cum de iuribus aut rebus possidendis dicitur, possessiõnem iniustam plerumq; significat: cùm quid per vim, aut fraudem iusto domino ereptum, possessor malæ fidei detinet: quo etiam modo ipse loqueris [c] contra Regem *Constat*, inquis, *in veteri Testamento fuisse duplex ius Regium, alterum Diuinum, alterum vsurpatum seu Tyrannicum*. Hoc igitur vt videtur significatu, etsi alicubi etiam in bonam partem hoc verbum accipias, ad odium quæris, *Si verè sunt pastores ouium Christi, cur non vsurpent sibi officium pastorale.*

c *Cap. 2. nu. 11. Similiter etiam Bellarminus in Apologiâ cap. 4. Si per vendicare significare velit vsurpare, omnino negamus.*

storale. Respondeo, ideo non possunt vsurpare, id est alienum ius ad hoc officium inuadere & occupare, quia *verè* ex officio Regio, sunt pastores ouium Christi. Ita κακόηθεια tua in verbo odioso, & interrogationem tuam facit ridiculam, & responsionem nobis suppeditat idoneam: sed, vbi dicit Episcopus, alios Reges Christianos vel assumpturos seu vendicaturos *sibi officium pastorale?* Ipsam apud te verborum recitationem audiamus: *duces sunt gregis sub Christo pastorum principe*: & iterum, *vbi Reges Christo nomen dederunt, tum demum non minùs pastores hi, quàm olim Reges Israelis*. Vides quàm cautè, nequis forte de officio pastoris spiritualis (quod solum vulgo pastorale nominatur) intelligat. Tu hîc etiam malignè ad inuidiam, pastorale officium, quasi spiritualem pastionem voluisset, absque interpretatione nominas: hanc enim ambiguitatem si sustulisses tandem, in hac tertiâ tuâ interrogatione: non modo ipsi derogâsses non parum (pastoris enim Politici ius in rebus spiritualib⁹ [d] in Galliâ, in Germaniâ, summus Magistratus ciuilis, etiam in Italiâ Venetus, in Siciliâ Rex Catholicus sibi vendicat) sed etiam in prioribus illis interrogationibus, quibus hoc toto loco bellè ludis, fructũ ambigui omnem quasi in messe perdidisses.

[d] *Vide infra cap.* 15.

Quod dicit alios Reges Christianos (puta qui Pontifici cedunt primatum in spiritualibus) vt tu quidem recitas, *vsurpaturos officium pastorale*, vt ipse loquitur, *duces esse gregis sub Christo Pastorum Principe, sua si iura nossent, & vel vires illis vel animus non deesset*, [e] accusas tandem verbis grandibus, & penè tragicis, non modò assentationis erga Regem Iacobum,

[e] *Ita fit (inquit pa. 15.) vt dum Regi tuo assentari vis in alios contumeliosus existas.*

Iacobum, ſed & contumeliæ in cæteros : de aſſentationis calumnia, quam paſſim ingeminas, [f] ſemel audies : de contumelia in alios Principes, *Quid eſt,* inquis, *hoc aliud, quàm dicere, Regem Angliæ ſcientem eſſe, reliquos ignorantes?* Quaſi verò aut ſcientiâ cæteris ſimpliciter anteferat eum, quem vult plus ſcire de ſuo iure : aut omnino nullam ſcientiam ijs relinquat, quos negat totum ius ſuum cognoſcere. *Addis, quid eſt hoc aliud, quàm dicere illum vires habere, reliquos impotentes eſſe: illum animoſum, reliquos timidos & ignauos eſſe?* Cauillator homo, dic primum, qui vel vires vel animum alicui deeſſe dicit, num vtrumq; ei deeſſe dicit? dic ſecundò, ſiquis cui animum dicit deeſſe, num ſtatim eundem reprehendit quod parum audeat? [g] Quod dicit *animum deeſſe*, voluntatem ſignificat : quod timiditati opponitur, *animos* dixiſſet potius : vel inde hoc collige, quod alibi dicit vobis *vires non animum deeſſe*, id eſt vires, non voluntatem : nam & audaciam certè vobis ex defectu virium ibidem vult deeſſe. Sed dic poſtremò, cui forte deſint aut vires, aut animi, num ſtatim hic aut ad impotentes, aut ad timidos & ignauos amandandus? eâdem ratione, cui non ſatis ſit doctrinæ, ad indoctos, cui non ſatis diuitiarum, ad mendicos, cui non ſatis ſapientiæ, ad inſanos ablegetur: eſt medium, eſt modus in rebus : ſed in alijs rebus: tuæ enim ineptiæ neq; modum ſciunt, neq; modeſtiam.

f Cap. 20.

g Pag. 159.

CAP. IX.

Becanus pa. 15. Tortur. pa. 114.

Quintum Paradoxum vis esse, quòd dicat Reges sæpe in scripturâ vocari Christos *seu* vnctos Domini: *at Sacerdotes aut Pontifices nunquam sic vocari.*



Vantum hoc absit à Paradoxo, vel si falsum sit, quàm indignè ad λογομαχίας vaces, in tanta copia rerum maximarũ quas prætermittis, quàm ineptè in Paradoxo priorem clausulam proponas, quasi & [a] ipsa falsa aut reprehendenda tibi videatur: quàm frustra hic repetas, quæ habes alibi contra Regem, hæc quidem hic non vrgeo. Quæstio est (postquam per tuas declinationes huc deuenimus) in regimine Ecclesiæ, vter vtro superior, Rex an Pontifex? tu vrges, titulo quodã æquales esse: ex æqualitate (credo) tituli, inæqualitatem potestatis inferes: τὰ γὰρ ἴσα ἀνίσοις ἄνισα. Obiter hoc totum apud Tortum, in Torturâ obiter: tibi hic & vbiq; quod obiter est in itinere est, vel potiùs in meta itineris: quæ in re πάρεργα tibi ἔργα: cuius omne ἔργον ἐν παρέργῳ. Locus Torturę vnde hæc verba carpenda excerpsisti, id agit in primis, vt primam clausulam prioris Breuis Papalis rectè ab Apologiâ Regiâ mendacij reprehensam, malè autem à Torto defensam doceat: vbi tandem, quia verbum *parentandi*, quo vtitur Apologia, obiter reprehensum à Torto, [b] ex aduerso ab Episcopo notatur apud Tortum nouus titulus *Christi Domini*, quo Papam indigetat,

a Vide Becanũ contra Regem pag. 77.

b Pag. 114.

indigetat, dum queritur, [c] *Christū Domini, id est Pontificem maximum, criminis falsi hoc loco accusari.* Quid tu adhæc defensor Torti & Pontificis, refutator Torturæ? Quod Pontificem Tortus, quem mendacij purgare debuerat, totum volutet in mendacio & te ipsum simul fœdiùs inquinet, nihil ad te: neq; defendere ista curas, neq; negare: vnum est quod respondeas de titulo *Christi Domini*, non rectè ab Episcopo reprehensum. c Pag.33.

§. 2. Et quidni etiam hoc rectè? Certè apud Tortum, vbi legis *Christum Domini, id est Pontificem maximum*, hoc nomen Pontifici maximo tribuitur, non vt commune ei cum cæteris sacerdotibus, sed proprio iure: tu autem nihil affers, nisi vnde communi iure Papæ cùm cæteris omnibus sacerdotibus competat: etiam ne tuo te indicio proderes, ita recitas Episcopi sententiam, ac si de communi iure sacerdotum quorumcunq;, non de proprio aut peculiari Pontificū, litem intendisset. *Ait*, inquis, *Pontifices seu sacerdotes, nunquam vocari Christos, seu vnctos Domini.* Vbi illud, *seu sacerdotes*, de tuo interseris: ne nulli rei sint quæcunq; habes ad hunc locum, pro communi quodam iure, quo sacerdotibus omnibus hic titulus debeatur, cum tota quæstio sit, de iure peculiari Pontificis, vtrū per excellentiam ita dicendus sit, quod sanè, & ipse Pontifex in famosâ illâ oratione, de cæde Gallorum Regis Henrici tertij renuit: cum etiam Cardinalem vocat [d] *Christum Domini*: & [e] Bellarminus in quindecem nominibus Papæ Romani minimè agnoscit.

d *Vide in Torto pa. 86. & Tortura 241:*
e *D. pontif. l. 2. cap 31.*

Sit *Pater patrum*, sit *Papa*, id est avus Ecclesiæ:

& huiusmodi *Pappos auiasq; tremētes* (vt vtar ijs verbis quibus Bellarminus vim huius vocis demonstrat) *anteferant patribus seri noua cura nepotes.* Habeat hoc nomen Papæ, vel per Antonomasiam, quod ibidē Bellarminus dicit esse blandientium. Sit *summus sacerdos*, quanquam si [f] libro ceremoniarum credimus, poterit ne sacerdos quidem esse, ne diaconus quidem, vt cui vel in subdiaconatu fas sit consistere: sit tamen vel subdiaconus *sacerdos summus*: quanquam [g] Canon disertus, nemo vocetur *summus sacerdos.* Sit *Episcopus vniuersalis*, quanquam Papa Gregorius primus, hoc nomen [h] vt profanum, sacrilegum, & iam tum Antichristi prænuntium, nec in Constantinopolitano solum, sed & in Romano Pontifice execratur. Sit *Præsul sedis Apostolicæ*, vel potius sedis iam diu Hypostolicæ, quæ [i] ἐξ ὑποστολῆς, id est à refractariâ & fidei contrariâ sui subductione denominetur: vel si ita vultis, esto sanè Apostolus, non vt sancti illi, id est legatus ad prædicandum omni carni: nec enim hoc officium eius agnoscitis: sit ergo ablegandus, procul à pijs omnibus habendus: & in vltimas oras amandandus: & ita sint vel eius omnia: sedes, Breuia, Canones, Apostolici. Sit *vicarius Christi*, is quem Græcè vno verbo dixeris ἀντίχριστον. Est enim ἀνθ' ἑτέρου quod vice alterius est. Sit *Pastor ouilis Dominici*, quo sensu [k] Ieremias prædixit venturos pastores qui depascāt, & deuorent: atq; hoc sensu quoniam ita placet Bellarmino & Baronio, *caput* dicatur, quia [l] capitis est manducare: vnde *pulchrè dicitur Petro, macta & manduca*: sic Bellarminus: & Baronius Paulum quintum contra Venetos excitans, *duplex est*

[f] Cap. de ordinatione.
[g] Concil. Carthag. 3. can. 26. distinct. 16. cap. Quoniam & cap. Sextam.
[h] Lib 4. Ep. 32.
[i] Hebr. 10. 39.
[k] Iere. 6. 3.
[l] Bell. de pontif. Lib. 1. cap. 22.

est, beate pater, Ministerium Petri, pascere, & occidere (occidere dixisset & pascere, de suo Petro, id est de Papa, vt prius occideret, deinde depasceret) *iuxta illud, pasce oues meas, & iuxta illud occide & manduca.* Sit etiam iterum *caput Ecclesiæ*, quod humeris hominum portetur: quiq; vt ἄτη illa Homerica, ἐπ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει: Sit *Petra*, quæ iam diu non exteris, sed ipsi Ecclesiæ, Petra offendiculi fuit. Sit *custos vineæ*, ne intrent operarij. Vocetur & si cui tanta libido est adulandi, *Sponsus Ecclesiæ: sed suæ Ecclesiæ:* vt appareat adultera & purpurata meretrix, quæ vna plurium sponsa dici sustineat. Habeat & siquas alias diligens comportator Bellarminus conquirere potuit, titulorum hyperbolas: ex quibus non est dubium quin tandem extiterint illæ superstitionum hyperbolæ. *Christus* certè *Domini*, quem titulum nunc sero Tortus, id est personatus Bellarminus, acquisiuit, ab eodem (cum sine personâ loquitur) pro Papali in tota illa titulorum congerie non agnoscitur.

Quanquam quid ego illam quindecim titulorum enumerationem vrgeo, vbi etiam oblitus homo negligens, celebrem illam Canonistarum vocem *Dominus Deus noster Papa.* Ne tuum quidem illud, quod addis hoc loco ad titulos papales, vt dicatur *pontifex noui Testamenti*, cogitauit. Nec meminit quod conciliũ Lateranense vltimum, Sessione prima, papã *principem totius mundi*, & Sessione tertia *Sacerdotem & Regem* appellent. Excidit etiam ei ex memoria titulus *successoris Christi* qui apud [m]Steuchum de donatione Constantini habetur. Etsi enim Apostolus [n] ad Hebræos, Christo, quià

m Pag. 141.
n Cap. 7. 24.

quia viuit in æternum, ſacerdotium tribuit ἀπαράβατον, id eſt quod non tranſeat ad ſucceſſorē, Steuchi tamen Conſtantinus (ſi dignum eſt credere) *papam adorauit vt deum, vt Chriſti ſucceſſorem: Diuinos honores ei contulit: vt viuam Chriſti imaginem veneratus eſt.* Ita iam penè tædet *vicarium Chriſti dici, & ſucceſſorem Petri. Succeſſor Chriſti* audiet, & *vicarius Dei:* vel potius *Vicedeus*, quem etiam titulum à Bellarmino prætermiſſum, Neapolitani non ita pridem vindicârunt; quibus ad librum theſium Paulo quinto, cum inſignibus Imperatoris, Turcicis, Venetis, à Papali mitrâ pendentibus, extat inſcriptio, *Paulo quinto*[o] *Vicedeo, Chriſtiani orbis Monarchæ: Pontificiæ omnipotentiæ aſſertori.* Sed nec titulum *ſummi Principis ſpiritualis*, quem [p] alibi tanti facit, nec illum *quinti Euangeliſtæ*[q] Baronio approbatum, Bellarminus loco illo de nominibus Papæ omnino meminit. Vnum tamen hunc titulum, vt peculiari iure *Chriſtus Domini* diceretur, nec hi quidem ingenioſi in nouos titulos Paraſiti, ante Tortum tuum, quòd ſcio, cogitârunt.

§. 3. Nam quòd apud [r] Bernardum dicitur *vnctione Chriſtus*, parum receptum innuit [ſ] liber ceremoniarum: qui cum non modò ad nomen Ieſu, ſed etiam ad nomen papæ, per corporis incuruationem honorem exhibendum doceat, non diſſimulat ad nomen Chriſti, non item requiri. cuius rei ſi cauſam quæris, in promptu eſt: quia hoc nomen ſuum regibus (puta minorum ſuorum titulorum hæredibus) Chriſtus potius quam pontificibus communicauerit. Nunc autem non ſolum vnctione Chriſtus, ſed (ſi Tortum teque ſequimur) *Chri-*

o *Vide in Tortura Torti de notâ & numero Beſtiæ in hac inſcriptione pag. 361.*
p *De pontif: lib. 5 cap 6.*
q *Append: Tomi. ſixti vide Torturam pag. 10.*
r *De conſideratione lib. 3.*
ſ *De cerem: Epiſc. & card. L. 1 ca. 5. & 22*

Christus Domini, id est Christus Iehouæ, Papa vester per excellentiam, dicendus: nec enim, vt credo, Regi & pontifici hunc titulum συνωνύμως impertitis, sed potius vt [t] ipse satis indicas κατ' ἀναλογον, & vt dicitur *secundum magis & minus*. Vt Papa quidem sit Christus Domini super Reges, hi autem super Laicos. Sic enim quod dij dicantur, & Pontifices & Reges, exponit [u] Maynardus: vt Reges dicantur dij Laicorum, Pontifices autem dij Regum. *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium Papæ.* Atque ita non quidem Christum, at vnctum tamen Papam vestrum cogitis nos fateri. Sed vnctum [x] *oleo peccatoris*, oleo parasitico, oleo adulatorio. Sed & alio quoque oleo anonymo (elapsionis oleum est) oleo sophistico distinctionum bellissimarum, quibus delibutus, *anguilla est, elabitur*, nec deprehensus & manifestarius tenetur, probè nobis vngitis papam vestrum: Bellarminus ante omnes [y] *Non habet potestatem Reges deponendi directè, sed indirectè:* [z] *non forte vt Papa sed vt summus princeps spiritualis.* [a] *Nomen Episcopi vniuersalis quod assumit Papa, Gregorio Magno blasphemum dicitur, non quatenus eum significet qui sit Episcopus generalis, sed quatenus eum, qui solus sit Episcopus:* [b] *damnauit hunc titulum Gregorius, etiam in Romanis Pontificibus; non quia ijs non conueniret, sed vt ita facilius comprimeret Constantinopolitani superbiam.* [c] *Simpliciter damnauit hunc titulum: nimirum quatenus tribuitur Archiepiscopo Constantinopolitano.* [d] *Potest Papa in concilijs non sequi maiorem partem, non quidem vt præses, sed tamen vt summus princeps.* [e] *Potest Pontifex hæreticus esse, in personâ priuatâ, non in per-*

t *Verba Becani pag. 20. hinc colligo hoc nomen vnctus seu Christus Domini magis conuenire sacerdotibus quàm regibus aut certè æquali iure tam sacerd: &c. si &c.*
u *De priuileg. Eccl: art* 14. *num.* 1.
x *Psal.* 141. *vers.* 5.
y *Bell: de pontif: lib.* 5.
z *cap.* 6.
a *De pontif. li.* 2. *cap.* 31.
b *Ibidem.*
c *Ibidem.*
d *Bell de concil. lib.* 1. *cap.* 18.
e *Costerus, Salmeron & alij plerique.*

sonâ publicâ: * *in errore manifesto forte potest, in dubio non potest: potest forte velle hæresim Ecclesiæ, vt de fide proponere, sed non potest actu proponere:* [f] *Liberius Papa non expresse sed interpretatiuè tantùm in hæresim incidit:* [g] *Concilium generale habet à Christo auctoritatem immediatè (vt decretum in concilio Constantiensi) cui omnes, etiam Papa obedire tenetur: etiam Papa: id est Papa dubius, non Papa confessus.* [h] *Submiserunt seipsos Papæ Romani conciliorum iudicio, non coactiuo sed discretiuo:* [i] *Papa cum concilio maior est Papâ sine concilio, extensiuè non intensiuè:* [k] *pares erant Apostoli omnes auctoritate super populos Christianos, sed non erant pares inter se.* [l] *Chalcedonense conciliũ paria priuilegia concessit, Constantinopolitano & Romano Episcopo: id est, paria respectu inferiorum, non respectu ad se inuicem. Ob hæresim licere alteri parti nouum inire coniugium, decreuit Papa Cœlestinus in Epistolis decretalibus, sed non decreuit ex Cathedrâ.* Mitto alia huiusmodi innumera: quibus ita litum nobis & lubricum Papam vestrum datis, vt non magis oleo illo peccatoris factus videatur *omnipotens*, quàm hoc altero, quo ita facile nobis è manibus elabitur, factus videatur incomprehensibilis. Sed qui [m] hircum olent vel vnguento odoratissimo inuncti, graueolentiores videntur. Et hoc pacto certè vnctus hic vester, nasutis omnibus tanto olet peius: vos autem infelices aliptæ, operam & oleum perditis.

§. 4. Nam quod de sancto oleo, vt vel vnctus Domini, vel Christus Domini dicatur, somniatis: nequaquam credo cum oleo Regio, regum puta Francorum comparabitis. Audi [n] Gaguinum Historicum

* *Greg. de Valentia.*
f *Bell. de pontif. lib. 4. cap. 9.*
g *De concil. lib. 2. cap. 19.*
h *cap. 18.*
i *cap. 13.*
k *De pontif. lib. 1. cap. 12.*
l *Tortus pag. 126.*
m [Greek, partly illegible] ... *Arist. in Probl.*
n *Vide Rob. Gaguini Annales rerum Gallic.*

ricum non pessimum de vnctione Clodouæi: qui etsi non in regem vnctus hoc oleo, posteri tamen ex illo. *Cum* (inquit) *sacrosanctum oleum quo liniri ritu Christiano qui abluuntur solent, siue ministrorum incuria, siue hoc agente Deo, allatum non esset, ecce de superis delapsa columba phialam (quam ampullam vocant) odoratissimi liquoris oppletam, ad manus Remigij detulit: alij,* inquit *aiunt ab Angelo &c.* Addit idem Gaguinus *eo liquore hic Clodouæus primum, posteri deinceps Francorum Reges hactenus, regnum administraturi, sacrantur.* Nec nescis (credo) quod addunt, hunc eundem liquorem fontem habere in ampulla, quam aiunt viuo Rege vacuam impleri quando nouus inungendus. Quid tu ad ista tam gloriosa de oleo Regio? an commentum dices & meras nugas? Vide ergo in decretis Ecclesiæ Gallicanæ apud Bochellum, quàm multa solennia cum Rex coronatur ridicula esse oporteat, si hanc fabulam potius [o] à fabulando quàm à fando deduxeris: etiam in precibus publicis dum præparatur vnctio, hæc habent. [p] *Gentem Francorum inclytam, simul cum Rege nobili, beatus Remigius sumpto cœlitùs Chrismate, sacro sanctificauit gurgite: atque spiritus sancti plenè ditauit munere: qui dono singularis gratiæ, in columba apparuit, & diuinum Chrisma coelitus pontifici ministrauit.* Caue ergo ne hanc fabulam aliter dixeris, quàm quo sensu Senensis vester vult adiectiones ad Danielem fabulas dici: & eo etiam magis, quod Monarchomachi vestri, cùm ex eo quod Rex ab Episcopo coronetur atque vngatur, Episcopum Regi anteferunt, non parum sibi firmamenti in hoc miraculo videantur collocare.

o *Sixtus Senensis bibl. 8. li. 8. pag. 644. adiectiones ad Danielem, Hieronymus dixit fabulas non à fabulando sed à fando.*

p *Bochillus in decret. Eccles. Gall. li. 5. Tit. 2.*

§. 5. Agite

§. 5. Agite ergo, quamprimum, hoc exemplo, maturate vobis fabulam quæ ſic non à fabulando ſed à fando dicatur, vt perinde etiam de Ampullâ aliquâ Pontificali ampullari poſſis: nec opus habeas ita multa, ita fruſtra, pro hoc nomine vel Papali vel ſacerdotali ſudare. *Deſignet* (inquit Epiſcopus) *vel vnum locum in toto volumine Bibliorum, vbi hoc nomen Chriſti Domini Pontifici attribuitur.* Quid tu ad hoc? *ego*, inquis, *deſignabo.* Nec mora: profers loca ſex: vnde addis: *En habes varia ſcripturæ loca, quibus ſacerdotes dicuntur vncti.* At hoc non erat quod promiſeras: docendum erat de Pontifice, puta vt dixi κατ' ἀντονομασίαν: tu doces de ſacerdotibus communiter: proferendus fuerat locus (ſi à Pontifice ad ſacerdotes tranſire voluiſti) vbi nomē *Chriſtorum* ſeu *vnctorum* ijs attribuitur: tu profers vbi de ijs dicitur eos vnctos fuiſſe: proferendus etiam tibi fuerat locus, vbi *Chriſti Domini* dicũtur, tu profers vbi ſine hac additione, quod *Domini ſint*, nihil habes niſi vnctos fuiſſe: Nec aliud certe infers ex duobus locis Auguſtini: teſtes verba ipſa illationis tuæ: Igitur inquis, *ex ſententiâ ſcripturæ & Auguſtini, non minùs ſacerdotes quàm reges dicuntur vncti:* puta *vncti fuiſſe*, nō enim, nec ex Auguſtino, nec ex ſcripturis ſequitur, hoc nomen vtriſq; attributum, ſed tantùm in more fuiſſe, vt tam hi quàm illi inungerentur: Nec enim vbi dicitur Chriſtus baptizatus fuiſſe, ibidem dices, nomen baptizati, aut circumciſi eidem attribui: Ignorabat, credo, Epiſcopus doctiſſimus, quod pueri ſciunt: ſacerdotes & Reges in Iſraële vngi ſolitos: illud autem minimè dubitabat, quin ſi doceres vnctos fuiſſe, ſtatim ſibi fatendum

tendum ſit, etiam nomen hoc ijs attributum. Erit hoc ſemper odioſi moris veſtri, vt in facilioribus quibuſq; rebus probandis multi ſitis, in difficilioribus nulli: quod ſentitis nullâ reſponſione, nullo vt ita dicam pictoris penicillo colorari poſſe, antiqui pictoris exemplo, qui vultum quem ſimulare non potuit diſſimulauit, totum ſilentio quaſi velo obtegitis.

Tale tuum hoc loco conſilium: quod præcipuum excipimus quo minùs Teſtimonia quæ profers aliquid faciant ad propoſitum, diſſimulas & ambiguo eludis: *dicuntur*, inquis, *vncti*: quod tibi nihil eſt, niſi *dicuntur vncti fuiſſe*; at hoc nihil eſt, niſi etiam doceas hoc nomine appellatos fuiſſe: hoc enim erat, quod Epiſcopi verba ex aliqua quidem parte poſtulârāt, quodq; tua initio poſita ſimiliter promiſerant: ſed & vlteriùs incubuit, vt Pontifici hoc nomen attributum oſtenderes: nec enim Tortus, cum dixit *Chriſtū Domini, id eſt Pontificem*, communem notionem habuit omnium ſacerdotum: ſed quæ Pontifici, ſaltem per excellentiam, propria eſſet. Nec nihil ſané in eo momenti poſuit, quod & *Domini* dixit, cum tua Teſtimonia omnia de *vnctis*, non de *vnctis Domini*.

Quanquam ad hoc quod diſſimulare non poteras, habes quidem aliquid: ſed vt ſiluiſſe præſtaret. *At*, inquis, *non dicuntur Chriſti Domini ſicut Reges*: quis non hîc putaret proponi à te obiectionem ſoluendam, vt doceas perinde eſſe cum vncti dicuntur, ac ſi dicerentur, non modò Chriſti, ſed Chriſti Domini? non ita eſt: ne quis hoc expectet, id modò laboras, vt idem videatur, quod vncti dicantur, ac

ſi

ſi Chriſti dicerentur : hinc enim primum non eſſe contendendum de vocibus, tum de eodem ſignificatu vtriuſq; vocis, poſtremò de loco 2. *Mac.* 1. 10. Vbi Ariſtobolus dicitur de genere Chriſtorum ſacerdotum : & quid hoc ad obiectionem, *non dicuntur Chriſti Domini?* aliquid quidem ad alteram leuiorem quam non proponis : *non dicuntur Chriſti ſed vncti* : ſed ad illam quam proponis ſoluendam planè nihil: imo verò & cõſtringis arctiùs cùm non multas poſt lineas addis, *ſemel duntaxat puta* Lu. 2. 26. *in nouo Teſtamento reperiri hoc nomẽ Chriſtꝰ Domini, in ea ſignificatione de qua agimus* : at nomen Chriſti in eadem ſignificatione qua *Luc.* 2. 26. Chriſtus Domini accipitur, ferè ſexcenties in Nouo Teſtamento : ita ſi nomen Chriſti Domini non habetur quoties nomen Chriſti habetur, certè nec ſacerdos *vnctus Domini* dicitur, vbi *vnctus* dicitur.

§. 6. His ita egregiè à te poſitis, quaſi in confeſſo iam eſſet, ſacerdotes veteris Teſtamenti appellatos *Chriſtos Domini* : pergis vt lubet nugari. *Dicet*, inquis, *hæc omnia intelliguntur de ſacerdotibus veteris Teſtamenti, vellem autem videre locum vbi Pontifex noui Teſtamenti (nimirum Papa) vocetur Chriſtus ſeu vnctus.* Inepte, non dicet: neq; ex ore tuo infantiſſimo, verba ſua quaſi præmanſa accipiet: non requiret ex nouo, vnde conſtet hic titulus, vel Papæ, vel ſacerdotibus: illud à te primò quæret, cur hìc ita loquaris, quaſi de vncto ſimpliciter, non autem de vncto Domini diſputandum tibi eſſet. Deinde etiam quæret, quæ hæc tua vel ſtultitia vel impietas, vt dicas, *Pontifex noui Teſtamenti nimirum Papa?* Quidni enim æquè dicas Mediator noui

Teſta-

Testamenti, nimirum Papa? Addet, nihil esse quod ita quasi Cynthius aurem velleres: *Audi*, inquis, *vellem vicissim videre locum, vbi Reges noui Testamenti vocentur eo nomine.* Nihil opus, ex eo enim quod Rex Cyrus extra Synagogam, & is nullo oliuæ oleo delibutus, vocetur q *Christus Domini*, satis est cur alijs quàm Synagogæ regibus, & ijs qui ab oleo forte externo intacti essent, ius sit huius nominis. Nec Papam vestrum ideo arcet hoc titulo (vt tu quidem somnias) quia deest pro Papa expressum noui Testamenti testimonium: sed quia vel veteris testimonium deest: Nec ita iniquus est (quod tu nimis multum sibi arrogare dicis) vt quibus ius huius tituli ex æquo, eorum alterum admittat, excludat alterum. Tu potius, cùm ridiculo fultus argumento, quasi iam concessum sumis, à vetere Testamento ius vtriq; ex æquo esse, hoc primum tibi ineptè arrogas: deinde cum, ne deesset tibi iurgij, seu potiùs conuitij, materia, obiectiunculam ineptam aduersario quam ipse nunquam somniauit, affingis, hoc quidem etiam iniquè tibi arrogas. q Esa.45.1.

§. 7. *Addo*, inquis, *in nouo Testamento semel duntaxat reperiri hoc nomen, Christus Domini, in ea significatione de qua agimus, nempe apud Lucam 2. 26 nisi prius videret Christum Domini.* Quàm nequiter nugationem tuam prodideris hoc tuo indicio, iam dixi supra: sed dic nunc, num alia significatione *Christum Domini* vsquam inuenis in nouo Testamento, quam quâ hoc loco Lucæ dicitur? aut nonne etiam *Act.* 4. 26. habes, *contra Dominum & contra Christum eius*, eadem planè significatione quâ *Luc.* 2. 26. Dic verò etiam si non prope absit à

blasphemia,

blaſphemia, quod dicis, *in ea ſignificatione de qua agimus*, id eſt, ea ſignificatione ſaltem qua Papam vocas Chriſtum Domini) *reperiri hoc nomen Chriſtus Domini Luc.* 2.26. Quidni enim blaſphemum, qua ſignificatione ſeruator dicitur Chriſt° Domini, Luc. 2.26. eâdem & Papam dici? Sed quorſum hoc tibi, quod ita ineptijs & blaſphemiâ contaminas, de vno illo loco, aut ſi vis, de pluribus, vbi reperitur hoc nomen Chriſtus Domini? nihil enim hic infers, nec cogitari quidem facilè poterit, quorſum hic tuum illud, *Addo*, præfigeres. niſi fortè confeſſionem dixeris aut confirmationem ridiculæ illius obiectiunculæ, quam modò egregiè præoccupaſti.

Quod ſequitur ad finem huius paginæ tuæ decimæ nonę (vt apparet ex collectione quę ſequitur pagina viceſima) eò ſpectat vt hanc vnam propoſitionem conſtituat, *& Reges & ſacerdotes Synagogæ vnctos fuiſſe oleo corporali, in typum venturi Meſſiæ, qui in Regem & ſacerdotē vngendus fuerat oleo ſpirituali.* In hac propoſitione cum vnum incertius ſit, vtrum Reges Synagogę omnes fuerint typus Meſſiæ: & ne illud quidem ſatis manifeſtum, vtrum vnctionis vel ſacerdotalis, ea ratio fuerit, vt figuretur in hac vnctione ſpiritualis vnctio Meſſiæ, (poteſt enim ſacerdos eſſe typus Chriſti, etſi non item vnctio ſacerdotis, typus vnctionis Chriſti) ad hæc quidem in hac tuâ propoſitione minus manifeſta, quorum etiam prius non temerè quis falſum dixerit, planè nihil apud te in hac longa tua & altè repetita præmunitione: videris enim iam pene ex profeſſo aut voto, omnia ad propoſitum neceſſaria omittere.

omittere. At alia tamen ad eandem propositionem tuam quæ per se clarissima sunt, & vel pueris nota, quorum etiam non nulla iam ante habuimus, non omittis. Primum exponis quid sit *Christus Domini*: vt sit idem quod vnctus à Domino: & quidni potius vnctus Domini? Deinde vnctos dicis in Reges, & sacerdotes: quasi non etiam in [r] Prophetas: tum similiter vnctum Christum in Regem & sacerdotem: quasi non etiam in Prophetam: tandem addis, Christum quidem vnctum oleo spirituali, illos autem [f] à Deo vnctos tantùm oleo corporali: quasi verò, aut quos Deus vngit, aliqui vngantur *tantùm* oleo corporali: aut non Aaron, Dauid, & alij pij Reges, aut sacerdotes, etiam vncti oleo spirituali: his propositis, quasi satis iam ad primam tuam propositionem dixisses: assumis alteram, *Christum in hac vita videri magis vsurpâsse* (sic enim iam ineptè & de Christo loqueris) *officium sacerdotis, quàm Regis*. Atq; hinc quidem colligis, sacerdotibus etiam magis quam regibus, conuenire nomen Christorum Domini: aut si Christus in terris æquè vtrumq; officium (vt loqueris) *vsurpauit*, saltem vtrosq; æquali iure vocari Christos Domini. Sed cum hæc tota ratio tua, eo nitatur fundamento, quod vtriq;, & Reges & sacerdotes, vncti ideo dicantur, quia vtriq; Christum referebant, qualis erat in hac vita: non tu insignis & hîc quoq; nugator, qui hoc fundamentum arenaceum, quia solidari nullo modo poterat, planè supprimis? Quid enim, si tam Reges, quàm sacerdotes vncti in typum Messiæ, & Messias, in terris cum ageret, potiùs, vel saltem æque sacerdos, atq; Rex? An ergo potiùs,

[r] 1. *Reg.* 19. 16.

[f] *Becanus p. 20 te vnxit spiritu sancto, illos oleo tantum corporali.*

potiùs, aut æquè sacerdos atq; Rex vnctus Domini dicendus? nequaquam certè: nisi vterq; vncti dicantur, eo tantùm respectu, qui ad Christum, qualis in terris erat, referatur.

At hoc quod de sacerdotibus noui Testamenti verissimum est, vt multis docet [t] Bellarminus vester, de regibus vtriusq; Testamenti falsissimum est. quam enim nisi communi iure omnium Christianorum, imaginem Christi sub forma serui in terris vitam agentis, qui venit ministratum alijs, non vt sibi ab alijs ministraretur, referũt Reges Christiani? Dei imaginem in maiestate Regia agnoscũt patres, Ambrosius, Nazianzenus, Augustinus: nec aliter Dei, aliter Christi (quatenus quidem Reges sunt) sed vtriusque regnantis in cœlis. In Episcopo quoque idem [u] Augustinus agnoscit imaginem Christi: sed cùm hanc imaginem distinguat ab imagine Dei, quam in Rege collocat (*Dei* inquit *imaginem habet Rex, sicut Episcopus Christi*) satis indicat, in Episcopo imaginem Christi a se intelligi, non in formâ Dei, neque vt in coelis regnat: sed vt ipse hîc quidem non malè supponis, prout egit in terris, in forma serui. *Sicut misit me pater & ego*, inquit, *mitto vos*, missus autem erat a patre in forma serui. Sic ergo Apostoli ab eo missi: vt regibus relinquant imaginem regnantis in coelis, sibi retineant imaginem ministrantis in terris. Quò etiam pertinet illud Pauli secundâ ad Corinthios: *nomine*, inquit, *Christi legatione fungimur, velut Deo precante per nos oramus Christi nomine, reconciliemini Deo*. precantium ergo & hortantiũ, & omnino ministrantium, non imperantium neque cogentium, officium nostrum sacerdotale:

t *De Pontif: lib. 5. cap. 4.*

u *In quæstionibus veteris & noui Testamenti.*

* *cap. 5. ve. 20*

dotale: per nos precatur Deus, per Regem, vt dixi, sæpe cogit vocatos intrare.

Institue iam ergo rationem: & videbis quam nihili sit: vt quę tota falso fundamento nitatur. Sic enim necesse disputes.

Reges & sacerdotes veteris Testamenti propterea vncti fuerunt oleo corporali vt Messiæ (prout futurus erat in hac vita) *qui vngendus erat in Regem & sacerdotem figura seu typus essent.*

Ergo eo magis hoc nomen vnctus, seu Christus Domini, conuenit sacerdotibus quàm Regibus, quo magis Christus vsurpauit officium sacerdotis, quàm Regis in hac vita.

Clausulam in antecedente *prout futurus erat in hac vita*, qua inserta, ipsum antecedens, exempta, consequens falsissimum apparet, tuo more (id est ita sophisticè, vt fraus cuiuis pateat) omnino tacitam prætermittis. Atq; ita non modò vitio inconsequentis nihil contra nos efficis, sed & argumentum nobis pro nostra sententia firmissimum in animum reuocas. Cum enim titulus ille *Christi Domini*, potius ad exaltationem Christi, quàm ad humiliationem pertineat (vt patet ex verbis Petri *Act.* 2.36, *hunc*, inquit *quem vos confixistis, Deus fecit & Dominum & Christum.*) certè ad Reges, in quibus imago Christi exaltati cernitur, potius pertinet hic titulus, quàm ad sacerdotes, in quibus imago Christi humiliati. Nec omittendum, aut quòd contra manifestam [u] vocem sancti spiritus, præsumas summum sacerdotem in vetere Testamento figuram Christi non aliter fuisse, quàm prout in terris sacerdos futurus erat: aut quòd confectam tibi rem pu-

u *Hebr. 9 per totum.*

tes, si summus ille in vetere Testamento sacerdos rectè dicatur, *vnctus Domini*. In nouo enim Testamento sacerdos, vtcunque supremus, non habet imaginem Christi, nisi prout Christus in terris fuit: ideoque cum nomen Christi, vt dixi, potius sit exaltationis, multo aptius conueniebat summo sacerdoti Synagogę, qui typus erat etiam sacerdotis cœlestis, quam summo vlli sacerdoti Ecclesiæ militantis, qui non nisi imago Christi sacerdotis terrestris.

Iam quòd in iis qui vnctione consecrabantur, & in officijs Christi, nulla apud te hoc toto loco muneris prophetici mētio, cōsultò (credo) hoc declinasti, ne dum titulum *Christi Domini* Pontifici asseris, cum honore onus docendi inuito obtruderes. Sed qui hic ita cautus, qui tandem ita loqueris, quasi Pontifici iam vestro aurem vellas, atque admoneas vicem Christi non, nisi vt in hac vita fuit, ei commissam, Christi autem in hac vita officium potius sacerdotis fuisse quam Regis. An obliuisceris te eorum causam agere, qui ita se vicarios Christi venditant, vt primatum tamen spiritualem in ciuilem Monarchiam conuertere omni ratione studeant? Sed benè sit illi additamento tuo, ex sententia Bozij, *aut si vsurpauit vtrumque*: benè etiam verbo odioso *vsurpauit*, quod hic ingeminas, & obtines mordicus, vt quod in illo, *magis vsurpauit officium sacerdotis*, non minuat de auctoritate, sed tantùm de executione alterius officij: alioquin inuolent in te non modò agmen Canonistarum, sed & congregationis oratorij supparasitatores Theologi. Nam si libri Bellarmini, [x] id quod satis vt videtur certa

[x] *Vide Barclaium de potestate Papæ in Princi. Christianos cap. 40 & alibi qui testatur se hoc à Iesuitis accepisse.*

certa fide accepimus, quod potestatem Papæ in principes tantùm indirectam concesserint, Sixto quinto ita displicuere, vt eosdem publico interdicere, atque extinguere in animo habuerit: quid te homine fieret nescio quo?

CAP. X.

Paradoxum sextum: Si præter Christum etiam Pontifex esset caput Ecclesiæ, monstrosam & bicipitem fore Ecclesiam. *Tortura 331. & 398. Ecc. pag 20.*



QVòd *mirabilem* hoc loco *inconstantiam*, & corruptum, partim *adulatione*, partim *odio* animum Episcopi grauissimi insimules: cui & *apage* dicis *cum suo capite*, & quadrare vis illud, *stultus vt luna mutatur*, & alterum, *vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis*: eo hæc omnia faciunt, vt stupiditati tuæ qui nihil in nostra sententia intelligis, ob summā tuam insolentiam, ne si velit quidem, ignoscere quisquam possit. *Dixit*, inquis, *paulo ante*,[a] *solum Christum esse caput Ecclesiæ, cur hoc? vt Papam quem odit possit excludere, nunc etiam*[b] *Regem vult esse caput: cur hoc? quia Regi placere & blandiri satagit.* Primum hîc peccatum calumniæ in sententiam Episcopi: quasi Regem faceret caput Ecclesiæ vniuersalis: sic enim sonant verba tua ex antithesi: vt quemadmodum in priore membro Ecclesiæ nomine Ecclesiam vniuersalem intelligis, ita

a pag 398.
b pag 338.

& in posteriore subintelligas. Ita de vniuersali Ecclesia (quod insanissimum esset) dici vis, quod apud Episcopum ne de particulari quidem expresse dicitur: id modò, quod & tua verborum recitatio testatur, ab eo dicitur, vt nomen capitis ad Regem referatur, non esse opus arte mirabili, (puta illâ de qua arte mirabili Tortus pagina 133.) vbi, nisi ad calumniam festinares, animaduertere poteras, non dici *nomen capitis Ecclesiæ*, quod negamus satis propriè attribui posse mortali cuiquam: sed nomen *capitis*: fidelium puta, aut capitis omnium Regni ordinum, siue illi extra, siue intra Ecclesiam. Secundum peccatum, calumnia altera: quasi Papam Episcopus (puta nullâ iniuriâ lacessitus) iniusto odio excluserit à titulo *capitis Ecclesiæ*. Et quidni etiam quod de te credi[c] vis, de hoc quoque viro nobis spectatissimo credamus: *studio veritatis* scripsisse? Tu quidem, si huic veritati verè studeres, non sic verbo hinc euaderes: quin quæ contra pressè, grauiter, & diligenter disputantur, excuteres: & vel vera agnosceres vel falsa argueres. Sed de hac omni euasionum & declinationum impudentia, dixi semel. Tertium peccatum calumnia tertia, quasi studio Regis adulandi Regium primatum asserat: de qua, quoniam nondum eam satis sæpe inculcasse tibi videris, dicam tandem semel: etsi tu quidem non semel, sed vt dixi sexies hoc regeras, & semper sine vel leuissimo argumento.

c *Epist. ad Archiep: Mogunt:*

§. 2. Decussis calumnijs, non paulò iam leuiora quæ obijcis de contradictionibus. Quæ enim contradictio. *Solum Christũ esse caput Ecclesiæ vniuersalis: & tamen non esse opus arte mirabili, vt in Ec-*

clesia

clesia particulari nomen capitis (puta capitis omnium Regni ordinum, tam ciuilium quam Ecclesiastico- rum, vel si vis, nomen capitis Ecclesiæ particularis) *ad Regem referatur?* Nec multò sanè maior diffi- cultas altera, vt vobis quidem Ecclesia vniuersalis militans, cuius non modò Christũ sed & Papam ca- put esse vultis, biceps sit, & monstrosa: nobis tamen eadem vniuersalis militans, neque biceps sit, neque monstrosa: vt cui vnicum caput, nempe Christum, assignemus: etsi non quidem vniuersalis militantis, sed tantũ particularis (puta Anglicanæ, &c.) etiam Regem aliquo sensu non incongruo, caput dici non negemus. Sed ne particularem quidem huiusmo- di Ecclesiam hoc pacto facimus bicipitẽ, aut mon- strosam: cui caput non nisi vnicum, quod quidẽ sit totius corporis, id est vniuersalis militantis, attri- buimus. Vt enim, in quacunque illa arte veterum Extispicum, exta non ideo bicipitia, aut monstrosa, si præter caput totius corporis commune, & ipsis suum quoque proprium caput adesset: sed mon- strosa potius, si vel vnum abesset vel adessent duo: ita Ecclesiæ quoque particulares, non ideo bicipi- tes aut monstrosæ, quibus præter caput totius cor- poris commune (id est præter Christum caput to- tius Ecclesiæ militantis) etiam suum caput quod- dam proprium adsit: sed monstrosæ certè potius, si vnum caput particulare absit, vel duo adsint, alte- rũ puta in spiritualibus, in temporalibus alterum.

Omnino enim *ὁμωνύμως & pene impropriè loquun- tur, siqui ex nostris hominibus Ecclesiæ particulari, præter cœleste caput commune totius vniuersalis Ecclesiæ, etiam proprium caput (siue Regiam, siue

d *Ioannes Sulpitius in Lucani librum primum.* Caput iecoris ex omni parte diligentissime aduertebant: si id non inueniebant, nihil putabant tristius accidere potuisse.

* *Lucanus sub finem libri primi.* Quodque nefas nullis impune apparuit Extis, ecce vid: t capiti fibrarum accrescere molem, alterius capitis.

 aliam

aliam quamcunq; supremam maiestatem) attribuunt. Saltem sensu longè alio, & ab eo quem de Christo capite concipiunt, longe remotiore hoc intelligunt, quàm quo vobis Papa vester caput vniuersalis militantis Ecclesię dicitur: hoc vt intelligas vnde de contradictionibus quas obijcis vel supra quam satisfiat: hæc attende sigillatim.

1 Nec Episcopus noster in Torturâ, nec omnino Ecclesia Anglicana, vocat Regem *caput Ecclesiæ*, in suo Regno.

2 Si qui de nostris ita loquuntur, habet hæc locutio rationē idoneā, & sensum orthodoxū.

3 Hoc sensu si rex dicatur *caput Ecclesiæ Anglicanæ*, non tamen sequitur Ecclesiam Anglicanam fieri *bicipitem*.

4 Quo sensu Papa dicitur caput Ecclesiæ vniuersalis, necesse est vniuersalem Ecclesiam fieri *bicipitem*.

§. 3. Ad primam propositionem: non negamus quin ea quidem quæ sub Henrico Octauo, & deinceps sub Edwardo Sexto, fuit Ecclesia Anglicana, nomen capitis Ecclesiæ Anglicanæ de Rege vsurparit. Sed Ecclesiæ Anglicanæ eam sententiam dicimus, quæ annis iam plus quinquaginta, ab initio regni Elisabetæ apud Anglos recepta publicé. Atque huius quidem illustrissimæ Heroinæ anno primo, ex concilio pariter & voto procerum ac Theologorum, edicto Reginæ ordinumque Regni, ex antiqua formula iuramenti de primatu Regio, expuncta vox *capitis*, & substituta *supremi Gubernatoris*, vt ab admodum reuerendo Episcopo Lincolniensi, [c] in defensione altera Apologiæ Regiæ,

c pag. 207.

exci-

excipitur, contra vel errorem, vel calumniam aduersarij sui. Vidisti, si non leges nostras, at verba iuramenti illius de primatu Regio[f] in Apologia Regia: vbi *Gubernatoris supremi* habes, non *capitis* nomen: similiter & in articulis[g] synodi Londinensis habitæ, non diu ab initio regni Elisabetæ, & in Canonibus Ecclesiasticis, Iacobo in Anglia regnante [h] editis, nulla *capitis*, sed tantũ, *Supremi Gubernatoris* mentio.

f *Initio responsionis ad Epistolam Bellar.*
g *Anno* 1562. *Elisabetæ sexto*
h *Iacobi primo.*

De Episcopo nostro in Tortura, iam supra ad calumniam primam monui, nomen capitis Ecclesiæ consultò ab eo declinatum: quod quo consilio fecerit, ex ijs quæ ad propositionem tertiam mox dicentur facile animaduerteris, fecisse: certè vel ex eo intelligas, quod habet [i] alibi de scrupulo, qui non quidem nunc sit, sed aliquando in iuramento primatus fuerit, non de re sed de voce *capitis*. Sed & ipsa quę [k] apud te est verborum recitatio, hoc te non difficulter docuisset: *vbi vt capitis nomen ad Regem reuocetur*, satis habet quod Saul caput fuerit in omnibus tribubꝰ Israëlis, quòdque Theodosius Chrysostomo caput & vertex omnium hominum. Imò verò nec Apologiæ locus quem Episcopus hoc loco, tuetur, si rectè attenderis, Regem vocat Ecclesię caput: quidni enim de capite cœlesti & de principali gubernatore Christo intelligas, quod [l] dicitur, *ab ijs qui ius auctoritatemq; Ecclesiæ regendæ supremam illam quæ penes Regem in suis ditionibus residet, turbare, imminuere, aut abolere conantur, ipsũ caput & principalem Ecclesiæ gubernatorem amputari?* nec enim aut tautologum nobis persuaseris auctorem Apologiæ, quem scimus dicendi peritissimum:

i *pag.* 110.
k *pag.* 21.
l *In responsione ad locum ex Gregorio de capite fidei vide in Torto pag.* 133.

ſimum: aut caput fidei, de quo hîc ex Gregorio, parum piè de Chriſto exponi dixeris: aut denique iniuriam, quâ petatur is penes quem ſit primatus Eccleſiæ, non etiam, (iuxta illud[m] non te reiecerunt ſed me) in ipſum Chriſtum redundare. Sed quicquid fuerit, parum certè interſit neceſſe eſt, cum, vt ſequitur iam paucis docendum, Regi in ſuis ditionibus nomen capitis Eccleſiæ particularis ſaniter intellectum, non malè tribuatur.

§. 4. Eſt enim particularis Eccleſiæ duplex ratio, vna ad alias partes totius corporis myſtici, (quo ſenſu non hâbet niſi idem caput, quod ceteris omnibus partibus commune eſt) alia vt habet ipſa partes ſuas: quo ſenſu cum negari non poſſit, quin & ipſa ſit quoddam quaſi corpus: quidni & caput huic corpori proprium, etſi minimè συνώνυμον, cum communi omnium particularium Eccleſiarum capite, ex vſitatiſſima loquendi libertate concedamus? Sic enim *capita ſingularum plebium* agnoſcit[n] Gregorius, quæ & ipſa ſub vno communi capite membra Eccleſiæ fuere. Sic Saulem Samuel caput in tribubus Iſraelis: ſic Theodoſiũ Chryſoſtomus caput & verticem omnium in terris hominum: ſic Paulus maritum vxoris caput: ſic denique apud Moſem ſæpe capita Paternarum familiarum. Nec enim Eccleſia aliud[o] quam populus Chriſtianus, tam Clericorum quàm Laicorum genera omnia comprehendens: ideoque ordinum omnium caput, idem & Eccleſiæ non malè caput dicitur: ſiue ei abſoluta, ſiue imminuta poteſtas, ſiue forte non tam poteſtas, quàm eminentia & dignitas. Sic enim certe patres concilij Chalcedonenſis, ſi quidem de ſeipſis

m 1. *Sam.* 8. 7

n *lib.* 4 *ep* 38.

o *Chryſoſt: in Ephe:* 5. *Hom.* 21. *Quid eſt Eccleſia niſi viri & mulieres? (puta Christiani) ſimiliter Bellarminus de concil. lib.* 2. *cap.* 19. *Eccleſia inquit eſt, vt ait Cyprianus, Plebs ſacerdoti adunata: & paſtori ſuo grex adhærens.*

ſeipſis loquuntur, vt vos vultis, & noſtrorum aliqui concedunt, in illis ad Leonem Papam, *quibus tu ſicut caput membris praeras*, non poteſtatis caput, ſed ordinis & eminentiæ ſenſerunt: quanquam alij de ſynodo habitâ Romæ eodem tempore, cui Leo Papa, vt Metropolitanus Epiſcopus, vel Patriarcha præerat: ſaltem in illo Gregorij, vbi Romanam Eccleſiam caput aliarum Eccleſiarum dicit, caput intelligendum ordinis & dignitatis: vt Ephraim caput Regni Iſraelitici. Ita de voce capitis, cum tam lata ſit ex vſu loquendi, & tam laxa huius vocis ſignificatio, nulla quæſtio quin Regi competat, ſi quidem ſaniter intelligatur, vt caput Eccleſiæ, id eſt, populi in ſuis ditionibus Chriſtiani, dicatur,

De re, quo modò ex noſtra ſententia Rex etiam in rebus Eccleſiaſticis ſupremus in terris Gubernator ſit ſui regni: & vtrum, qui hoc modo caput particularis Eccleſiæ Regem agnoſcimus, ijdem particularem Eccleſiam in Rege & in Chriſto capitibus, bicipitem faciamus (id eſt, vtrum Regi tribuamus poteſtatem eiuſmodi, vnde dici poſſit caput à Chriſto alterum, aut, quod eodem recidit, vnde comparatione habitâ ad Chriſtum, nomen capitis mereatur) hoc verò inprimis quæritur, vbi ne errares inuitus, cautum egregiè & [p] in Apologia Regia, & pleniſſimè [q] in Tortura Torti: nec iam opus vltrà, niſi vt ſummatim, ne ſemper hic calumniemini, moneam, quid ſit quod tribuamus Regi in re religionis, & quid quod negemus.

Primum vt ceteri omnes, in quibuſcunque negotijs Eccleſiaſticis, Regi teneantur rationes reddere, tum vt ita Regi teneantur vt externo nulli, nec Re-

gi

p *Non longè à fine.*

q *Inde à pagina 363. ſed præcipuè à pag. 380. ad 303. ſtylo ſcripturarum aacuratiſſimè.*

gi nec Episcopo, vel ipsi, vel Rex teneatur: vt in ijs omnibus quæ Deus mutabilia esse voluit, aut indecisa reliquit, pro tempore constituendis præcipuam potestatem habeat: vt in ijs quæ diuinitùs de re religionis imperantur, postquam ab Ecclesiasticis concilijs, aut (si hæc non satisfecerint) ab auctoribus ob fidem & harum rerum peritiam idoneis, *quorum eos consulere tenetur*, satis edoctus fuerit, præcipuus dei seruus, & exequendæ voluntatis diuinæ supremus procurator habeatur: & in pœnis præmijsque pro quorumcumque merito admetiendis, honoratissimus quasi vicarius dei: Adhæc, vt delegandi eos qui de causis Ecclesiasticis iudicent, potestatem ita habeat, vt in his quæ ad deum pertinent (vt habes in Tortura) Amariam sacerdotem non autem Zabadiam ducem, præsidere iubeat: Vt concilia ordinis Ecclesiastici in suis Regnis tum indicendi ius habeat, tum etiam dissoluendi, tum eò vsque gubernandi, atq; etiam confirmandi, vt quæstiones inutiles amputet, moras, factiones, præcipitantiam, ceteraque quæ veritati decernendæ inimica esse solent, impediat: salutaribus quidem decretis vim legis Politicæ impertiat: otiosis autem, onerosis, aut perniciosis, nullam cuiusquam cogendi auctoritatem indulgeat: Nec valere sinat ad vexandam innocentiam, siquis, quem penes sit censura Ecclesiastica, potestatem hanc suam, non ad ædificationem, sed ad destructionem conuertat: In electionibus denique Ecclesiasticis etsi nullius personæ consecrandæ ius habeat, tamen quia bona muneribus annexa quæ aliquando à plebe Christiana, iam diu à munificentia Regiâ ex parte

te maxima sunt: vt antiquum illud ius plebis, quod [r]Bellarminus agnoscit, nimirum designandi qui consecrentur, modò dignos designet, eatenus habeat, quatenus solennes Regni cuiusque consuetudines postulant: Hæc ferè omnia, certè maxima, quæ in Primatu Regio quoad spiritualia agnoscimus.

§. 5. In quibus quantum desit de ijs quæ Papæ vestro, vt capiti Ecclesiæ tribuitis, quantum etiam, non dico vt συνωνύμως (quod ne de Papa quidem dicitis) sed vt κατ' ἀναλογον, aut secundum idoneam aliquam proportionem Regem faciamus caput à Christo alterum, vnde & Ecclesia nostra biceps dicatur, nemo non intelligat. Cum enim triplicem *facias potestatem Ecclesiasticam (quam omnino omnem quantacunque est, in ratione capitis, quà Papæ tribuitur, plenissimè reperiri vultis) vnam *ordinis*, alteram *iurisdictionis interioris*, tertiam *iurisdictionis exterioris*: totis duobus prioribus generibus Regem à nobis excludi [s]ipse confiteris. Atque ita ex sententijs illis Nicolai Sanderi, quæ [t]Torto tuo *vere aureæ* videntur, primam quâ dicitur *Regina Elizabeta exercuisse officium docendi & Euangelizandi in Angliâ, idque non minore auctoritate, quàm Christus, aut Moses vnquam fecere*, impudentissimæ calumniæ ream confiteris. Sed neque in exteriore iurisdictione (vt tu ibidem male præsum is) aut excommunicationis aut ordinationis potestatem Regi facimus, aut cultus diuini nouas formulas procudendi aut dispensandi (id est indulgēdi) cōtra vetitū diuinū, aut authenticā in controuersijs fidei dirimēdis, vel in scripturis interpretādis auctoritatem

r *De pontif: lib. 1 cap. 6. vide Becanum contra regem cap. 2. num. 19. vbi de applicatione ministrorum veteris Ecclesiæ penes Regem, quæ sane minimum abest ab hac designatione siue vt olim dicebatur postulatione.*

* *Contra Regem pag. 18.*

s *Contra Reg. pag. 19.*

t *Pag 143. vide Torturam pag. 358. & Apologiam Regiam sub finem.*

tem concedimus. Adde quod nec ius ei tribuamus leges sua solius auctoritate ferendi, quę Canonum Ecclesiasticorum vim obtineant: nec dogma quidem aliquod, quod hactenus pro hæresi condemnatum non fuit, condemnandi vt hæreticum. Vides hîc quàm multa (quorum nihil non Papæ concedere videmini) etiam in exteriore iurisdictione Regi detrahamus. Quorum sanè cum partem non magnam alibi cogitares, satis tibi nec opinanti excidit, vnde confiteri videare, non ita Regem à nobis alterum à Christo caput Ecclesiæ statui, vt comparatione vlla ad Christum mereri possit, aut tueri nomen capitis Ecclesiæ nostræ. [u] *Certè*, inquis, *aut valdè iniqui estis in Regem vestrum, aut non seriò primatum Ecclesiæ illi tribuitis*: neutrum horum verum: seriò enim primatum ei à nobis tribui, satis apparet ex supra iam dictis: sed quod tibi non videamur seriò hunc tribuere, signum longè aliâ capitis ratione apud vos Papam dici caput Ecclesiæ, quàm apud nos Regem dici fas sit: & ita etiam aliâ, vt illi quidem comparatione ad caput cœleste (id est ad Christũ) hoc nomẽ constet, huic autẽ non item. Quò etiã adde quod in propriâ capitis ratione, planè necessarium est, vt non possit dici vnius partis, nisi sit etiam cæterarum caput: commune autem caput Ecclesiæ Anglicanæ cum cæteris transmarinis Ecclesijs, Regem nostrum à nobis statui, si quis dixerit, insaniat oportet. Ita siue vim siue extensionẽ potestatis in Ecclesiam consideres, vtrâq; ratione Regi detrahimus, quo minus aut ipse comparatione ad Christum caput Ecclesiæ nostræ dicatur, aut Ecclesia nostra sub Christo capite & sub

u Pag. 27.

ſub Rege ſupremo in terris gubernatore, biceps videatur.

§. 6. Vtrâq; ratione de Papa veſtro non ſic: cuius poteſtatem & immenſam facitis, & in totam Eccleſiam militantem extenditis: quanquam quid dico militantem? Papæ, inquit [x] liber veſter ceremoniarum, data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, dominatur à mari ad mare: & à flumine vſq; ad terminos orbis: etiam Angelis ſcis quendam ex Pontificibus veſtris imperaſſe cum indulgentias deplueret: Nec in Eccleſia illa Purgatorij, parum poſſe oportet, qui penes ſe habeat tam inexhauſtum indulgentiarum Theſaurum, mortuis perinde atq; viuis vtilem: de diabolis enim quid loquar? quibus ipſos exorciſtas veſtros ita ſubijcit [y] Gregorius 7. vt hoc argumento non modò maiorem exorciſtarum quàm Regum poteſtatem eſſe velit, ſed etiam eoſdem pleriſq; regib⁹ (quaſi horum pleriqne eſſent in ſubditis & membris Satanæ) ſuperiores eſſe cuincat: vt non iam ſine cauſa illud in Iacobinorum Pariſienſium (cuius ordinis Clemens ille Henrici tertij percuſſor) celebretur priuilegium, [z] *à porta eorum ad portam inferni incluſiuè*. Nam de immenſitate poteſtatis, vel vt Neapolotani (quod dixi) non timuerunt Paulo quinto inſcribere, de omnipotentia Pontificia, *quis potis ingentes oras euoluere?* Quis limitem auſit dare, aut de finibus regundis litem intendere? Regiam certè poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis etſi ſupremam (id eſt ſoli Deo ſubiectam, cæteris autē præeminentē agnoſcimus) vndiquaq; tamē minorē, quàm in rebus temporalibus, apud nos ſtatui, facilè ex prædictis

x *Ceremon. cur. Rom. ſect. 7. pag. 85.*

y *Li. 1. epiſt. 21. Maior poteſtas exorciſtæ conceditur quàm alicui laicorum cauſâ ſecularis dominationis tribui poſſit.* Et ſtatim: *Exorciſtæ ſuper Dæmones à Deo imperium habent: quanto igitur magis ſuper eos qui ſunt membra dæmonum?*

z *Ren: Choppinus de iure Monaſt. lib. 1. tit. 1. nu. 15.*

ctis intelligis: nec omnino quidem Monarchicam, si Bellarmini definitionem admittes, dicere poteris: vult enim, [a] *in quo vno omnis sit Ecclesiastica auctoritas, & à quo vno omnis deriuetur,* in eo tandem rectè dici Monarchicam potestatem supra Ecclesiam: quantum ab hoc cacumine, absit suprema illa, quam Regi asserimus, potestas in suæ ditionis Ecclesiam, satis exposui: audi iam de Papa vestro Bellarminum. [b] *Regimen,* inquit, *Ecclesiasticum est Monarchicum: ergo omnis auctoritas est in vno, & ab illo in alios deriuatur: sic enim se habent omnes Monarchiæ: & quamuis Aristocratia qua Ecclesiasticum Regimen temperatur, requirat vt Episcopi non sint simplices vicarij, sed principes: non tamen requirit, vt isti principes instituantur à Deo, & non à Pontifice.* Hæc Bellarminus: ex qua confessione (vt immensa illa quæ de Papa apud Canonistas & alios parasitos prædicantur, non ad dogmata, sed ad adulationes vestras referam) satis apparet, Papam Romanum, ita à vobis statui caput Ecclesiæ vniuersæ, vt comparatione Christi, caput alterum iure optimo dicatur: cum ex nostra sententia, Regi *capitis* appellatio, non nisi valdè ὁμωνύμως, & καταχρηστικῶς (vt docui) tribuatur.

a *De Pontif. lib 4. cap 24.*

b *Ibidem.*

CAP.

Cap. XI.

Paradoxum septimum: Si Pontifex haberet potestatem deponendi Reges, meliore conditione fore Ethnicos, quàm Christianos Reges. Becanus p. 22. Tortura p. 36.



Ecce verò tandem aliquando mentionem potestatis deponendi Reges: id est eius rei de qua totam controuersiam fuisse oportuerat. Sed num aut argumentum aliquod Torti tui susfulcis, aut addis de tuo aliquod: aut præsidium vel propugnaculum nostrum forte aliquod oppugnas? Nihil horum: sed quicquid est, tamen, quod quæstionis pręcipuæ mentionem semel nobis (vtcunq;) indulseris, habemus gratiam. *Cum hac conditione*, [a] inquit Tortus, *Reges terræ ad Ecclesiam admittuntur, vt sceptra sua Christo subijciant.* Sic ille: quòd & ita dictum vult, acsi omnes qui ex voto baptismi tenentur sceptra sua Christo subijcere, ijdem & Papæ teneantur, vel ad abdicationē eadem subijcere: fundamentum hoc (vt scis) apud Tortum, & penè vnicum, rerum maximarum: ipsum plumâ leuius: quod cum in Tortura, *vt cum surgentem ad Zephyrum paleæ iactantur inanes*, ita disijciatur, tuâ ope subsidiariâ defensum oportuerat. *Nec plebeius*, inquit noster Episcopus, *in Baptismo, paciscitur de fundo suo abdicando, si censurâ notatus sit: ne Rex quidem igitur de Regno.* Ad hæc, & alia stylo Episcopali quàm grauiter & pressè exarata, elinguis es: ad omnia

a Pag. 16.

omnia quæ exceptione maiora surdus. *Becane immemor atq; vnanimis falsè sodalibus: nunc te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi: nunc te subtrahis, ac me miserum deseris in malis.* Sic te inclamat ille, sic te incusat laborans vndiquaq;. Tandem clamore victus, vnum nescio quid quasi de lacinia arripis. Quod personâ, non suâ, sed Ethnici Regis Christianismum detrectantis, ab Episcopo dicitur, appetis admorsu duplici: *nec cautè inquis nec Christianè.*

Primum hic peccatum, in inuersione ordinis duorum criminum: *Christianè* enim multa quæ non *cautè: cautè* autem nihil quod non etiam *Christianè*. Cur non ergo potiùs *nec Christianè nec cautè*, puta si *Christianè?* nunc enim cum contrario ordine accusas, *nec cautè, nec Christianè* si cautè: præsumis quædam satis *cautè* dicta, parum *Christianè*. Quod verus certè Christianismus haud patitur: vester quid ferat ipsi videritis. Sed dic seriò, putas tu (vt mihi liceat sic te laudare, quomodo [b] tu Iacobum Regem potentissimum) qui *stipes non es*, non prorsus adeo insensilis, etsi fungus forte sis, putas ergo tu, illud Episcopi, *Ethnicus deponi non potest à Papa, Christianus potest*, dictum personâ suâ? si non: certe nec istud quod eadem in sententia immediatè præcesserat, de Ethnicorum conditione meliore: nec tamen simpliciter melior (quacunq; sub persona loquitur) hic dicitur conditio Ethnicorum, sed melior quoad id de quo agitur, id est quoad Regni terreni retentionem. Vide [c] fratris Iohannis de Parisijs (qui & de Poliaco) doctoris Theologi ordinis fratrum Prædicatorum, tractatum *de potestate Regia & Papali*, vbi contra Papalem in disponendis Regum

b Pag 32.

c *Floruit sub Ludouico Bauaro circa annum 1322.*

Regum rebus temporalibus potestatem scribens, *Hæc*, inquit, *opinio in hoc etiam periculosa videtur, quod à conuersis ad fidem dominium rerum quod prius habebant, transfert in summum Pontificem, ex quo fides ipsis minus reddetur gratiosa, & ipsi fidei detrahitur: cum per eam turbantur iura conditionis Christianæ, vt dicit glossa prima Petri 2.* Hæc, aut his similia, Episcopus in animo habens, quò & fortiùs & efficaciùs exprimeret, quàm parum gratiosum hoc pacto nomen Christianæ fidei Ethnicis futurum esset, quasi ipsum Regem Ethnicum introducit loquentem: alioquin enim quidni tam præclaram, intra huius sententiæ periodum, Episcopi confessionem apprehendis, *Christianus deponi potest à Papa? Christiani*, inquis, *hominis non est sic argumentari.* Sed nec personâ hominis Christiani hic loquitur, sed Ethnici rationem reddentis, cur refugiat baptismum: quanquam & argumentum quo vti possit homo Christianus, illud certè ipsum quod ex fratre Iohanne recitaui, nemo non videat. Non ergo Episcopus (vt tu quidem vis) *satis ostendit, se pluris fecere regnum temporale, quod amittere* (inquis) *non vellet* (quasi vero iam teneret) *quàm cœleste de quo* eum ais *non magnoperè curare*: tu potius, qui de altero tuo libello hic somnias, & Episcopum quasi Regem alloqueris, satis ostendis te *non magnopere curasse*, quid scriberes, modò titulum *refutationis Torturæ Torti*, præscriberes: vt ita otiosis qui de titulo inaudirent, de libro autem nihil legerent, aut cognoscerent, persuaderes, hunc auctorem qui apud nos tanti æstimatur, à Iesuita Moguntino refutatum.

§. 2. Deterso crimine Paganismi, videamus quid sit quod in circumspectione desideras. *Non cautè*, inquis, *primò, quia quod dixit retorqueri potest hoc modo, si Rex Angliæ haberet potestatem deponendi Episcopos* (quod hic noster inquis *asserit*) *meliori iure essent Episcopi in Hispania, Gallia, Polonia, quàm in Anglia: nam hic deponi possunt ad arbitrium Regis, non ibi.* Quæ obiter peccas, primũ de Episcopis deponendis, non modò ad iudiciariã sententiam, sed etiam ad *arbitrium* Regis, tum de Episcopis in Gallia exemptis potestate Regis, hæc quidem habe impune. De vi argumenti tui, accurato sanè opus hic candore lectoris, vt te non ineptissimè loqui putet. Id vis: si verum diceret Episcopus, meliore iure essent Episcopi in Hispania, Gallia, Polonia, quàm in Anglia: quid ita? quia hic in Anglia deponi possunt ad arbitrium Regis, non ibi. An igitur dixit Episcopus meliore iure esse qui a Rege deponi nequeunt? imo qui a Papa nequeunt, ex huius igitur verbis sequitur, meliore iure esse in Anglia Episcopos: hi enim à Papa deponi nequeunt: cum in Hispania, Gallia, Polonia, presumis posse à Papa deponi. Corrige ergo formam argumenti tui. In Anglia Episcopi deponi possunt, & meliore sunt iure qui deponi non possunt: quid tum postea? an assumes in Hispania deponi non posse? non potes. Corrige ergo iam tertiò: an forte id vis vt dicat, *meliore iure esse qui deponi à Papa non possunt, etsi ab alio forte possint?* nusquã hoc dicit: sed quia miseret nos tui, dabimus hoc tibi: ita dixerit, vel saltem senserit: assume aliquid, *At in Hispania Episcopi à Papa deponi non possunt, etsi ab alio forte possunt: ergo meliore con-*

conditione Episcopantur in Hispania. Non hîc credo irasceris, si minorem negabimus: irascetur potiùs tibi tota Romana curia si eam affirmabis: Atenim vt apud vos hæretica sit, tamen apud nos vera forte est: imo verò nec apud nos vera, si quidem istud *non possunt*, ita accipis, vt alicubi loquitur Bellarminus [d] *Si Papa inquit iudicem in se admiserit & iudicio non obtemperauerit, faciet quod non debet, non autem quod non potest.* Imo verò (inquies) id tantum possumus quod iure possumus. Atqui si sic iam in angustum nos reuocas, fretus eo quòd ex pura tui miseratione maiorem tibi propositionẽ indulserimus, reuocabimus & nos hanc indulgentiam nostram: scis enim [e] *donationes irritas fieri propter ingratitudinem*: redi igitur ad maiorem: quod dicit *meliore iure*, non ad viuum resecat, sed idem esse vult, quod *meliore conditione*: testis tua ipsius in ipsa Paradoxi propositione expositio. Et clara res ex scopo loci. Itaque hoc loco, quod habet de ijs qui deponi possunt aut non possunt, intelligit de ijs qui ex more vel possunt vel non possunt, siue id iustè siue iniustè. De iure enim loquitur, recepto apud homines, quod aliquando summa iniuria est, non de iure iustitiæ. Ideoque cum maiorem tibi gratificati sumus; hoc sensu non alio acceptam referre debueras, vt fateremur meliore conditione esse, quos Papa ex more recepto deponere non potest, etsi ab alio forte deponi possunt. Assume iam minorem: *At Episcopos in Hispania (adde aut Italiâ) Papa secundum protestantium sententiam, ex more recepto non potest deponere:* vides iam hanc minorem non minus ex nostra quàm ex vestra sententia falsam esse.

d *De concil. lib. 2. cap. 18.*

e *Iulius Clarus.*

§, 3. *Secundò*, inquis, *quia sicut nos fatemur Reges Christianos deponi posse à pontifice, si delinquant: non autem Ethnicos: sic fatetur* (Episcopus) *Reges Christianos excommunicari posse, non autem Ethnicos: at ex hoc dogmate non rectè infertur meliori iure esse Ethnicos quàm Christianos: cum tamen plus sit priuari bonis Ecclesiæ spiritalibus per excommunicationem: quàm priuari Regno temporali per depositionem: ergo multo minus ex nostro dogmate inferri id potest per depositionem.* Grandis hic & crassa fallacia, eo quod Episcopi dictum vt loquimur, *secundum quid*, accipias quasi dictum esset simpliciter. Non dicit, qui deponi non possũt, simpliciter meliore iure, aut etiam conditione esse, quàm qui deponi possunt, sed meliore quoad retentionem eius quod obtinent: nihil causæ cur plus vellet: & [f] *intelligentia dictorum*, vt scis, *ex causis est assumenda dicendi.* Sic ergo, vt tollatur ambiguitas, disputandum tibi necessariò

f *Hilarius lib. 4. de Trin: cap. intellig. extra de verborum significatione.*

Reges Christiani excõmunicari possũt, nec ideo sunt quoad ius regni, deteriore conditione quàm Ethnici, qui excommunicari nequeunt.

At excommunicatio grauius quid, quoad ius regni, quàm depositio.

Ergo Reges Christiani, nec ideo quod deponi possunt, deteriore conditione sunt quoad ius regni, quàm Reges Ethnici.

Minor vt vides absurdissima: nec ita (scio) disputari à te admittes. Exime ergo illud, *quoad ius regni*: & quia ambiguitas necessario tollenda est, pro hac clausula substitue aduerbium *simpliciter*, in singulis propositionibus: concedimus tibi hoc

sensu

ſenſu concluſionem: nec Epiſcopo vnquam aliter in mentem venit, quin libentiſſimè fateretur, reges Chriſtianos non ſtatim ſimpliciter deteriore conditione futuros quam Ethnicos, ſi deponi illi poſſint, hi nequeant. Vides quomodo tibi hîc neceſſe ſit, aut abſurdiſſimè diſputare, aut nihil contra nos concludere. Secundum tuum in ſecundo impetu peccatum, quod ſine cauſâ iuſtâ colligas, quaſi ex Epiſcopi confeſſione, poſſe Regem excommunicari, *etiam à Papa* (id enim hîc ſubintellectum, alibi exprimis) vnde hoc expiſceris, & quã ineptè dicam [g] alibi: tertium peccatum, quod Regis depoſitionem per Papam, quam vix credo admiſeris vllam, niſi quæ excommunicationem præſumat, minus malum facias, quàm excommunicationem. Quod cum ſupponis, perinde eſt ac ſi diceres, depoſitionem per excommunicationem minus malum eſſe, quàm excommunicatione ſine depoſitione: ſi enim, vt hanc Scyllã declines, cum tuis (quando audaciùs loqui libet) dixeris depoſitionem poſſe eſſe, quæ non ſit per excommunicationem, aut etiam quæ non ſit auctoritate Papæ: at locus certè in Tortura quem reprehendis de hac ſola depoſitione loquitur: vt qui ad illud [i] Torti reſpondeat, *poteſt Reges à communione fidelium ſegregare, ſubditiſque interdicere, ne illis pareant:* puta illis ita ſegregatis & quia ita ſegregati ſunt, [k] vt alibi exponitur: deinde etiam, nonne animaduertis, quam te in Charybdim per hanc euaſionem conijcias: vt vel populo, vel Papæ ſine excommunicatione, ius aſſeras Reges deponendi, quod vtrumque quam indignum ſit facile intelligitur, etſi veſtri homines non-

g. *Infra ad Paradoxum decimum & iterum ad ſecundum ex ſex argumentis Becani. pag. 44.*

h *Bellarm contra Barclaium pag. 57. Pontifices etiam ſine excommunicatione de temporalibus diſpoſuerunt.*

i *Pag. 17.*

k *Pag. 28. & quoniam cum excommunicatis nominatim, & publicè declaratis, non licet conuerſari &c. ideo Pius quintus populũ Catholicum ab obedientia reginæ & iuſtiſſimè abſoluit.*

nulli aliquando satis diserte [l] vtrũq; non tam tueri aut probare conantur, quam affirmare non erubescunt. Etiam ipse, quod ad quartũ huius apud te loci peccatum refero, non procul abes ab hac sententia, cum *deponi Reges Christianos à Pontifice posse* vis *si delinquant*, quasi quouis delicto, nec iam criminibus atrocioribus modò, mererentur regnis abdicari. Nec tamen si amissio bonorum spiritalium in æternum per excommunicationem iustam, quam nulla subsequens pœnitentia obliterauerit, grauius malum est quàm regni temporalis in perpetuum amissio: ideo statim supponere debueras, excommunicationem ipsam quæ longè alium sibi finem proponit, quàm perpetuam bonorum spiritalium amissionem, imò quæ [m] plane contrarium sibi finem proponit, grauius esse malum, quam depositionem: aut conditionem eorum, qui huic pœnæ ita subijciuntur, vt regno deponi non possint, deteriorem esse, quàm eorum qui deponi modò possunt. Si enim grauia illa bonorum spiritalium naufragia excommunicationẽ aliquando subsequantur, planè ex accidente est, & præter excommunicationis propositum: itaque tua hic præsumptio nititur fallaciâ (vt vocatur) accidentis: atque hoc quidem quintum peccatum. Addis etiam & sextum, tuorum saltem iudicio, vt certent ferè peccata cum lineis. Quid enim illud est, quod hic vbi in altero cautelam desideras, excidit tibi incauto, vt *Ethnicos Reges* fatereris *à Pontifice deponi non posse*? si enim non Ethnicus, quomodo excommunicatus, cuius conditio, quam sit [n] *tanquam Ethnici*, non potest esse peior quàm conditio Ethnici? An tu illud Bellarmini

l *Vide ad Paradoxum. 14.*

m 1. *Cor* 5. 5. ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ. *Vide Greg Valent. de excommunicationis efficacia: vbi fatetur medicinalem esse, nec omnino per eam priuari quemquam nisi communicatione illorum bonorum, quorum communicatio pendet ex ipsius Ecclesiæ placito, seu peculiari intentione.*

n *Matt.* 18.

larmini [o] *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, si conetur subditos pertrahere ad suam infidelitatem*: quod ille quidem quemadmodum & illud de hæretico pertrahente ad hæresim, eò affert, vt doceat penes Pontificem esse, vt tanquam iudex supremus pronunciet vtrum rex admiserit quicquam vnde deponendus sit: hoc tu iam ita interpretabere vt vel inuito aut inconsulto Pontifice, aut saltem sine ope auctoritatis Papalis huiusmodi Regem possint deponere? An nescis fundamentum sententiæ Bellarminianæ [p] *Christum hominem prout in terris agebat, per ipsam spiritualem potestatem potuisse disponere de rebus temporalib⁹* (non modò Christianorum sed planè) *omnibus, eo modò quo iudicabat expedire ad humanam redemptionem*: vnde cum hæc potestas disponendi res temporales infideliũ, non minus vel cõmunicabilis sit puro homini, vel necessaria sæpe ad salutem fidelium, quàm altera disponendi res temporales Christianorum, certè non minus illam, quàm hanc vicario Christi ab ipso communicatam fateatur necesse est: nisi forte iustam & idoneam summo principi spirituali potestatem, vnde Christiani vitam æternam sine impedimento consequantur, [q] deesse dixerit. Hæc cum tuo illo, *fatemur Ethnicos non posse à Pontifice deponi*, quomodo in gratiam reducantur, vide: vide & quomodo patri vestro Generali Claudio Aquauiuæ, in te inuolaturo de imminuto per te regis Hispani iure satisfeceris: diffiteris enim, per tuum istud *fatemur*, ius ab Alexandro sexto translatum, aut Indiæ ori-

o *De pontif. lib. 5. cap. 7. Vide Torti Apologiam cap. 17. pag. 325. ex Aquinate: posse infidelem principem auctoritate Ecclesiæ priuari dominio: similiter c. 3. Sequimur (inquit) doctrinam Thomæ qui affirmat posse infideles principes per sententiam Ecclesiæ priuari in certis casibus dominio quod habent super fideles.*

p *De pontif: lib 5. cap. 4.*

q *Id quod negat sub finem huius capitis: vide Franciscum Victoriam Relect. 1. de potest: Eccles. Sect. 6. prop. 4. Vide & Gregorium Valentiam de efficacia Excomm. sub finem vbi pro absurdo habet non satis esse Ecclesiæ prouisum de potestate temporali in ordine ad finem spiritualem.*

entalis in Lusitanum, aut Indię occidentalis in Hispanum: Gregorio quoque septimo, etiam in os restitis: [r] *Agite*, inquit, *Apostolorum principes, & vestra auctoritate quod dixi confirmate: vt omnes nunc demum intelligant, nos imperia, Regna, Principatus, & quicquid mortales* (Ethnicos ex his mortalibus non excludes) *habere possunt auferre, & dare posse.* Sed & Artabalibæ Regis Peru [s] conuitium in Papam iustificas, insigniter fatuum eum esse oportere, qui, quæ non haberet, alijs liberaliter largiretur: vel certe iniustum & impudentem nebulonem, qui eiectis veris possessorib⁹, alienas terras peregrinis addiceret. Satis iam tibi, si tuis ille omnibus meritis pro præmio hanc tuam stultitiam condonauerit: infœlix iam in temeritatis venia, *mercedem solidam veterum capis officiorum.* I demens, & sic semper cautè nobis incautis superueni.

r *Platina pag. 67.*

s *Referunt Benz. & Lopez.*

CAP. XII.

[a] *Paradoxum octauum: Si Pontifex velit habere Regnum temporale, suadendum esse vt diabolum adeat, & ab eo petat: quippe cum ille* [b] *ius habeat disponendi de regnis huius mundi.*

a *Bec pag. 24. Tortur. pa. 36.*

b *Manifestum recitatoru mendacium.*



QVod *numerum* negatur *lupus*, & *torrentia flumina ripas curare*, alterum, non vtrūq; tuū est: ripas enim, id est limites controuersię, ita passim transgrederis superfluus, vt vbiuis potius diffluas quam in iusto alueo: etiam cum Pontificij

juris

iuris in regna temporalia (de quo certè tota hæc controuersia initio instituta) mentio hîc aliqua tibi excidisset, alio loco, (loco credo aliquo Vtopiæ vestri Pseudomartyris) demonstrandum hoc dicis: ita spernis has ripas, intra quas decurrere decuit disputationem nostram, vt ne tuas quidem esse, aut omnino huius loci agnoscas: loca inæqualia atque aspera, quæ tuo quasi aquarum æquore superfuso complanari, & ipsos etiam pro se mutos, quos tegi oportuerat, *destituis nuda pisces fugitiuus arena*. Sed alterum tamen non est tuum: numerum enim *quindecim Paradoxorũ* ita curas, vt potius quã eum non expleas, iam infercias quod cum grauissime aggrauas, non potes vltra quã ad id quod *non deceat* & ad iniuriam & *contumeliam* extendere. Nam quod addis, quasi ex Episcopi sententia, *Diabolum ius habere disponendi de regnis huius mundi*, Paradoxum certè, & atheon, aut saltem Manichæismus horrendus fuisset. Sed sensisti vt credo euidens mendacium tuum: cur enim alioqui non exclamasti, non inuolasti hac opportunitate tantâ? reuocauit te intus apud te calumniam tam putidam detestans conscientia: etiam *stat contra dicitq; tibi tua pagina, fingis*: vbi verba ex Torturâ recitans, nihil habes, nisi diabolum *dixisse regna mundi penes se esse, seq; ea disponendi ius habere*: ita tibi illud, *diabolus* dixit regna mundi penes se esse, idem est quòd *diabolus habet ius disponendi de regnis mundi*: quasi vero diabolus nequeat aut non soleat mentiri. Valeat ergo totum hoc *de iure diaboli*, manifestarium mendacium tuum.

§. 2. De contumelia quam quereris in Pontificem:

cem: Si non modò patientiâ noſtrâ, ſed iudicio & ſcientiâ abuti ſe ſemper poſſe confidit, ſi per nugaciſſima & nudatiſſima ſophiſmatum veſtrorum, nobis aciem oculorum perſtringi, vt quod videmus id aſſeuerando vincat nos non cernere, ſi per iamdudum irriſas & exploſas artes, nobis ſemper impune quiduis imponi poſſe ſperat: ſi imbellis, inermis, impotens, fretus calami Ieſuitici ſubſidio, ſuperſtitioſis armatus prætextibus, quaſi ſcuto chartaceo, haſta iuncea, bellum contra Regum ſceptra, ſine miſſu, & fœdere, continuum gerere non ceſſat, & per veſtram paucorum cæcam & ad omnia deuotam obedientiam *(ſeu verſare dolo: ſeu certæ occumbere morti)* regna, maieſtatem, opes, regum, principum, populorum, adhuc ſibi vendicare & promittere non dubitat: ſi iſta non tam contentione iuſta & legitima, quam per ſicarios, per venena, per ſuppoſita pulueris tormentarij dolia agere perſeuerat: annon hîc indignationi iuſtæ locus? vt qui iſta tam indigna ante oculos interq; manus habeat, cui noti omnes anfractus artificij veſtri, noti vt Sibyllæ omnes veſtri ad infernum & in inferno tramites, eidem liceat dicere, *eſſe in Euangelio mentionem de quodam, qui regna mundi penes ſe eſſe dixit:* tum ſi Pontifici tam dirus ad regna mundi animus, *illum vt adeat: cum illo vt tranſigat.*

Hîc tu languidulus, ſomnolentus, ſemimortuus aduerſarius, Morpheus ipſe, *Mi homo,* inquis, *ioco an ſerio hoc dicis? vtrouis modo vel iniurius es in tuum Regem, vel certè contumelioſus in Pontificem: de iniuria in Regem non negabis:* Et quidni negauerit de qua ipſe dubitas? cum ais vel in hunc iniurium, vel

vel certè contumeliosum esse in alterum. *An tu*, (inquis) *citra iniuriam ausus fuisses* (quasi vero cum iniuria audentior fuisset) *tuo Regi cum regnum Angliæ post mortem Elisabetæ petebat* (competitores credo indubitatus successor habuit, & Clementis octaui conclamatio [c] ad electionem obtinuit) sed id quæris ab Episcopo vt potes per somnum & halucinationem, Annon iniuriam Regi Iacobo regnum Angliæ adeunti fecisset, si ei regnum petenti *respondisset* (quasi vero etiam ab hoc quem sacellanum vocas regnum petijsset) si inquam *respondisset, Si regnare vis in Anglia, diabolum adi : & cum eo transige, qui omnium regnorum distributor est :* Addis non te opinari, sic *ausum* hunc nostrum respondere: *Alioquin*, inquis, *de sacellis actum erat*. Imo vero etiam de sacris : si dixisset diabolum esse per quem Reges regnant, [d] Gregorij vestri septimi forte hoc dogma : quod dum nostro Episcopo iam secunde impudenter imputas, actum interim de verecundia frontis tuæ. Sed & actum iterum de sensu communi capitis tui : quid enim? dixit horum aliquid Regi? Imo inquis, *non opinor ausum fuisse*. Quid ni ergo, *neget de iniuria in Regem*, quæ nulla, nisi id dixisset, quod negas ausum dicere, sed quod dixit in Pontificem, pari ratione poterat & in Regem dixisse : poterat ergo iniurius esse in Regem, non fuit. Et cur quæso pari ratione videatur dici potuisse in Regē quod dixit in Pontificem ? an pariter indignandum de Iacobo legitimo regnorum hærede, & de Papa regnorum prædone ? An verò aut ipse Rex optimus iam tum alia tentarat frustra omnia (vt Papa sanè vester ad Regna mundi fecit)

vt

c *Infra. c. 18. §. 2. sub finem.*

d *Supra ca. 11. sub finem quem & Benno Cardinalis Magum.*

vt reliquam sibi viam nullam haberet, nisi vt cum diabolo transigeret? aut prædecessorum Regis nostri nobilissimorum quisquam, pro Regno Angliæ transegit cum diabolo, vt Pontificum vestrorum [e] non neminem pro Papatu (in quo Regna mundi omnia implicite contineri vultis) constat transegisse? Quod prædecessor ob Papatum, quidni & successor ob Regna mundi ausurus videatur? postquam iamdudum de hac prædâ gustauit, *vt canis à corio nunquam absterrebitur vncto.* Postquam prostitutis indulgentijs cœlum vendidit, atq; etiam claues portæ cœlestis in Tiberim abiecit, nec iam amplius aut illud *Petre pasce oues*, satis potest, aut illud [f] *surge Petre occide & manduca*, cum glossa Baronij, vim suã obtinet: quid restat, nisi vt infernum in nos exercitum excitet? *Flectere non potuit superos, Acheronta mouebit.* Adeat ergo illum qui apud Lucam Regna mundi penes se habere gloriatur: celebris congressui antiquitùs in propinquo locus, *ille vbi nocturnæ Numa constituebat amicæ.* Adsit huc dirarum ab sede sororum, luctifica Alecto. Nec enim tu illud Episcopi *adeat* ioco dictum quiritare aut in Papam irreuerenter. Lentum est *adeat*, quasi tandem esset aditurus: friget *adiuit olim*: nuper adijt Clemens octauus, ex quo congressu ouum illud Basilisci (Breuia dico gemina illa huius Clementis inclementia) cui cum Catsbeio, Garnettus Iesuitarum in Anglia præpositus Prouincialis incubantes, pulueraríam coniurationem excluserunt: hanc coniurationem, hanc furiam vide: & dic si non testatur ex congressu Satanæ genita: *odit & ipse pater Pluton, odere sorores Tartareæ monstrum.* Sed & adijt ex illo

e Syluestrem 2 testes Platina, supplementum Chronicorum, fasciculus temporum &c.

f Vide supra cap. 9. § 2.

illo, ipſe Paulus quintus: vnde ouum Baſiliſci alterum, gemina itidem Breuia, quibus obedientiæ ciuilis erga regem inuito pontifice præſtandæ profeſſio prohibetur. Nec degener ex hoc ouo furia, etſi aſpectu non ita dira: *hæc potis vnanimes armare in prælia fratres, atq; odijs verſare domos.* Nec dum quo ſit euaſura apparet: *certè vultus ei multa & ſcelerata minantis.* Nec ſatis adhuc tuti videmur: *tot ſeſe vertit in ora, tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.*

§. 3. Et tu interim hiſcis de quodam dicto, quod *non deceat* in Pontificem, id eſt in πήγατος ἀρχὴν, in fontem mali: argumento à minore vrges, *non decuiſſet in Regem, ergo multo minus in Pontificem.* Adde verò quod [g] alibi habes in magno & fide digno teſtimonio, ex decretalibus de maioritate: *quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcitur.* Sed tandem ingenuè agere incipis: quod contra obijci poſſit agnoſcis. Obiectio eſt: *Pontifex quærit regnum temporale, quod illi non debetur: contentus ſit Regno ſpiritali.* Ad hoc reſpondes, pro *Torto* ſemper *retortor: Sed quid,* inquis, *ſi ſimile dicam de tuo Rege? quærit primatum Eccleſiæ qui illi non debetur, Regno temporali contentus ſit.* Fatui capitis eſſe te conuenit, qui aduerſarium tanti ponderis, ſic eleuari poſſe confidas: primum pro captu tuo & ſtylo enerui, affingis quod excipiatur: ſententia eſt. Nequis hic tibi obijciat Papam veſtrũ dum quærit Regnum temporale indebitum, rectiùs remitti ad diabolum coronatorem, quàm Regem Iacobum, cum Regnum temporale debitum vendicaret: ad hoc reſpondes, etiam Iacobum Regem quærere

g *Contra Regem pag.* 106.

quærere (quaſi verò nullum adhuc obtineret, aut vltra quicquam quàm quod habet ambiret) ſed quærere ais primatum Eccleſiæ ſibi indebitum: de Papa Regnum indebitum quærente concedis quod volumus, vt ita tibi contra primatum Regis in Eccleſiam principium petenti, mutuum faciamus. Atq; ita his egregiè poſitis nihil infers: quid enim ſi primatus Eccleſiæ indebitus Regi vt Papæ indebitum Regnum temporale? an ergo, vt Papa ob Regnum temporale indebitum remittendus ad diabolum coronatorem, ita Rex ob Regnum temporale debitum? ob primatum Eccleſiæ forte, ſi quidem ei non deberetur: ſed ob Regnum temporale (quod debitum concedis) nullo modo. Tandem videris κατὰ δεύτερον πλοῦν, ſecunda reſponſione velle quidem dicere, ius eſſe Papę idoneum in Regna temporalia: ſed non audes, ne forte idem accidat libro tuo per orbem Chriſtianũ, quod nuper Bellarminiano contra Barclaium. *Plus iuris eſſe Papæ in Regna temporalia, quàm Regi in Eccleſiam,* hoc quidem audes dicere: ſed quid eſt Eccleſia [h] niſi vt ſupra dixi populus Chriſtianus? quid ergo? plus iuris Papæ in Regnum temporale, puta Galliæ aut Hiſpaniæ, quàm Regi Angliæ in populum Chriſtianum ſuæ ditionis? hoc ais te addere hoc loco ad priorem reſponſionem, plus ſcilicet quam ad cauſam neceſſe eſt: aufer ergo de hac additione non pauluſum: doce vel aliquid iuris eſſe Papæ in Regna temporalia: imo inquis *hoc alio loco demonſtrandum:* vacuo credo aliquo loco, & vbi tu reperiêris nunquam. Eſt locus in carcere, eſt locus in imo maris, vtrum vis adibis potius: penè incideras imprudens

[h] *Supra c. 10. §. 4.*

dens in disputationem, quæ ad propositum apprimà pertineret: sed ingenio tuo gratias, elapsus es, euasisti: nihil quod ad rem erat attigisti.

Cap. XIII.

Nonum apud te Paradoxum: Excommunicandi potestatem non esse Petro Apostolo, sed Ecclesiæ datam.

Becanus pa 27: Tortur. p. 41. 42



Vousq; sese vis excommunicationis extendat, quæstio in visceribus causæ Anglicanæ: & penè τὸ κρινόμενον totius controuersiæ: huius questionis sedes & quasi basis in verbis Christi *Mat.* 18. *dic Ecclesiæ &c.* Hunc ergo locum accuratâ expositione explicans Episcopus, ex eodem docet: & quæ latitudo, quiue limites potestatis excõmunicandi, & cui data: priorem quæstionem (vt pote maximè ad propositum) omittis tuo more: in posteriore carpis quod potes, in eâ hic scopus apud Episcopum, vt tota hîc quoq; disputatio, ad vim seu efficaciam excommunicationis Papalis referatur. Si enim eo loco Matthæi non aliter Petro data hæc potestas, quam communi iure Ecclesiæ: certè successoribus Petri, non ita absoluta excommunicandi Regis potestas, quin & appellationi ad Ecclesiam locus sit, priusquam eousq; vis excommunicationis Papalis se extendat, vt Regem regno abdicet: hunc scopum huius loci si tua somnolentia assequi

sequi non poterat, at cum addit, Petrum loco Matthæi 16. 20. vbi dicitur *tibi dabo claues &c.* personam gessisse Ecclesiæ, & [a] post paginas paucas, occasione alia, hoc idem ex eo probet, quod auctores vestri plurimi, & fide dignissimi, hanc promissionem *tibi dabo &c.* præstitam interpretentur non Ioh. 21. vbi Petro dicitur *pasce*, sed Ioh. 20. vbi omnibus dicitur *quorum peccata remiseritis*: certè siquid successoribus Petri gratificari voluisses, in ista huius quæstionis penetralia intrare potius, quàm in extremâ quasi orâ hærere debuisses. Sed tibi hoc protritum genus respondendi non placet. *Auia Pieridum peragras loca, nullius ante trita solo: iuuat ire iugis, qua nulla priorum Castaliam molli diuertitur orbita cliuo*: retortorem ages (vt dixi) ad omnia, *hæc placet: hæc, quoniam vulgaris semita non est.* Videamus ergo acutus homo quid hic retorqueas.

[a] Pag. 61 ad 65.

Ex tota disputatione duas Episcopi propositiones excerpis, quarum tamen neutram bona fide recitas. Vis enim priore propositione affirmari, *Per illa verba, dic Ecclesiæ &c. non Petro Apostolo sed Ecclesiæ datam excommunicandi potestatem.* In hac recitatione prima iniquitas, quod aduerbium *ibi* (id est loco illo Matthæi 18.) quod Episcopus consultò ingeminauit sæpius (quæremus, inquit, potestas hæc *ibi* cui data, & iterum Petro potestas *ibi* non data) quod momenti non parui est, aut omittis, aut certè in tuo illo, *per illa verba*, ambiguè recitas: vim enim huius aduerbij in sequentibus aut non animaduertis, aut dissimulas. Sed & illud quoque iniquè, quod manifestioribus verbis prætermissis, obscuriora ad inuidiam arripueris: cum enim

enim dicit *non Petro sed Ecclesiæ*, id modò vult non Petro vni, id est non soli Petro, non Petro in singulari persona Petri: quomodo optimus ipse sui interpres, hoc eodem loco verba sua [b] exponit semel, atq; iterum. Alteram eiusdem propositionem vis esse, *Ecclesiam posse hanc potestatem transferre in quos voluerit*. Vbi pro eo quod ait *in siue vnum, siue plures*, tua recitatio inepte & maligne habet, *in quos voluerit*. Quasi Ecclesiæ arbitrio liberum relictum esset, & omnino in sanctis scripturis indefinitum, in quod genus hominum hanc potestatem transferri oporteat. b Pag. 42.

§. 2. Ex his duabus propositionibus, tuo more, id est, mala fide recitatis, *Sequitur* (inquis) *olim tempore Apostolorum potestatē excommunicandi immediatè datam Ecclesiæ Corinthiorum: & ab illa translatam in Paulum Apostolum: vt eam exerceret in hominem incestuosum: at hoc ipsum aperte negat eodem loco his verbis, Paulus Corinthijs potestatem censuræ denuntiandæ facit*. Duplex his verbis Enthymema: prius, *data potestas censuræ non Petro sed Ecclesiæ, quæ eam in alios transfert: ergo hæc potestas immediatè data Ecclesiæ Corinthiorū*. Bis incōsequens, primò quia rectè dicitur, immediatè datum Ecclesiæ, quod vniuersali, aut primæ seu Metropoli Ecclesiæ immediatè datum est, etsi singulis particularibus Ecclesijs itidem non fuerit datum immediatè. Iterum inconsequens, quia quod dicitur immediatè Ecclesiæ datum, si de omnibus particularibus Ecclesijs intelligi oportet, rectè tamen intelligi potest de solis perfectis & constitutis, non de hac Corinthiorum inchoata & quasi adhuc in cunis

 vagiente.

vagiente. Alterum Enthymema, *non data hæc potestas Petro sed Ecclesiæ, à qua etiam transfertur in alios: ergo Ecclesia Corinthiorum hanc potestatem transtulit in Paulum*. Misera consequentia, vt nemo non videt: sed quia ingenuè agimus, adiuvabo. Etsi enim hoc pacto non sequitur, ab Ecclesia Corinthiorum translatam hanc potestatem in Paulum: videtur tamen hinc sequi vt ab aliquâ saltem Ecclesiâ, siue Catholicâ, siue primariâ hanc potestatem & Paulus & cæteri Apostoli acceperint: id quod cum illo, quod dicitur *Gal.* 1. 1. *Neque ab hominibus neque per hominem &c.* non videtur consentire.

Sed reuocandum hic tibi in memoriam, quod dixi, aduerbium *ibi*, quod Episcopus ingeminat, malè à te dissimulatum, aut non satis expressum: ideoq; quod in antecedente sumitur, *non datam hanc potestatem Petro sed Ecclesiæ*, ita potius efferendum ex Episcopi sententia, *loco quidem illo Matthæi* 18. *non datam Petro, sed Ecclesiæ*: hoc posito, facilis ad obiectionem responsio, negando consequentiam. Quid enim si hoc loco non datur Petro hæc potestas immeditatè, an ergo nusquam immediatè datur? an quia in hac institutione potestatis ordinariæ, & in perpetuum duraturæ, nihil Petro singulariter, nihil Apostolis peculiariter delatum: ideo etiam nihil Apostolis Cõmuni iure, ne in ipsâ quidem Apostolatus (id est extraordinariæ potestatis, & ad tempus duraturæ institutione) delatum existimabimus? Non enim (credo) dixeris hoc loco *Matthæi* 18, locutum seruatorem ad Petrum, & ad reliquos, vt ad Apostolos: reclamabit

a Bellar-

[b] Bellarminus: cui Petrus, cum hæc audiret à Christo, nondum Pontifex, sed homo priuatus: [c] alibi etiam, *Planum*, inquit, *est Apostolos nondum factos sacerdotes, nisi in vltima cœna: neq. Episcopos & pastores, nisi post resurrectionem: proinde quo tempore hæc* (Matt. 18.) *Dominus loquebatur, erant priuati homines, nec vllam habebant Ecclesiasticam potestatem*. In altero quidem extremo ista peccant: iam enim baptizauerant, *Ioh.*4. & prædicauerant *Mat.* 10. *Luc.*9. & Apostoli certè iam designati fuerant, etsi non (credo) confirmati, seu consecrati.

b *De concilijs lib.*2.*cap.*19.
c *De pontif. lib.*1.*cap.*12.

Rectiùs ergo claues (id est potestatem Ecclesiasticam) Apostolis dicemus datas gradatim, & cum tempore. Matthæi quidem 18. datam potestatem ordinariam in perpetuum Ecclesiæ exemplum, per illa verba *dic Ecclesiæ &c.* Iohannis autem vicesimo, cum dicit *sicut misit me pater &c.* datam potestatem Apostolicam, & extraordinariam. Ita habes, quomodo & Apostolis data potestas immediatè à Christo, & tamen potestas illa quæ Mat. 18. instituta est, nec ad Petrum, nec ad alium quenquam Apostolorũ immediate à Christo descenderit, sed mediante Ecclesiâ. Vnde cum ordinariȩ potestatis Ecclesiasticæ regula, atq; auctoritas ex hoc loco Matt. 18. petenda sit, rectissimè iuxta Constantiensis concilij decretũ, dicimus eam *formaliter* (seu subiectiuè) *immediatè, radicaliter, & suppletiue* (vtor verbis in hac quæstione vsitatis) manere, & penes Christũ, & penes Ecclesiã: penes Christũ, per se, & principaliter: penes Ecclesiã per gratiã, & secundariò: vnde cum non nisi mediante Ecclesiâ, hæc potestas videatur ad Episcopos descendere (vt qui quasi instrumenta

ta sint & Ministri Ecclesiæ) colligitur necesse esse, vt horum (etiam summi Episcopi) spiritus & potestas vniuersis, id est Ecclesiæ repræsentatiuæ, subijciantur: iuxta illud, *spiritus Prophetarum Prophetis subditi sunt.* Nam siqui etiam Petro, vt Apostolo, potestatem Ecclesiasticam competere volunt, non suo, sed Communi iure Ecclesiæ; non credo hoc ita intelligunt, ac si non Apostolis singulis data fuerit potestas immediatè à Christo: sed quia nihil cuiquam in hoc munere proprium aut singulare, aut supra cæteros agnoscunt: ideo non suum cuiq; sed commune ius; nec Petro aut Iohanni datum volunt, sed Ecclesiæ: id est præsulibus seu Presidentibus Ecclesiæ (iuxta expositionẽ [d] Chrysostomi) qui sanè Apostolorũ tempore non alij quàm ipsi Apostoli: ideoque quod presulibus datũ immediatè, idẽ Apostolis similiter datum volunt. Quo sensu siquis Episcopi nostri verba, quibus hunc locum Matth. 18. illustrat, accipienda putarit, non repugnabo: potest enim & sic constare argumentũ contra absolutã potestatem successoris Petri: nec omnino necesse, vt quod dicitur de trãslatione hui⁹ potestatis ab Ecclesia in alios, ita vniuersaliter accipiatur, ac si etiã in singulos Apostolos ab Ecclesia, aut ab ipso concilio Apostolorũ translatam [e] intellexerit: à qua sanè sententia quàm longè absit, vide in eiusdem responsione ad Apologiam Bellarmini.

d προέδροις καὶ προεστῶσιν *in Mat. 18 non vni Præsuli vt recitat Bellar. de pontif. lib. 1. cap. 6.*

e *Ca. 13. p. 36. vbi reprehendens illud Bellarmini Matthiã & Saulẽ non electos immediatè à Deo ait Apostolo proprium esse* ἀμέσως *à Deo designari.*

§. 3. *Secundo,* inquis, *sequitur hanc potestatem excommunicandi esse immediatè in Ecclesia Anglicana. At si ita est, cur non dat eam Regi?* Respondeo quia non potest transferre hanc potestatem *in quos voluerit*: tuum hoc mendacium, vt dixi, non nostra

ſtra ſententia. Nec tamen ideo non ſeriò primatum Eccleſiæ Regi tribuimus: rationem ſupra vide, vbi quid Regi tribuamus in Eccleſiæ gubernatione expoſui. Nam quod Epiſcopis Anglicanis quaſi exprobras[f] *Regem ſuum, caput ſuum, paſtorem ſuum & primatem*, facis vt decet ſcurram, cuius etymon à Græco σκώπ. ideoque petulcus & audaculus es: quia tutus tibi videris vt qui ne vinci quidem poſſis ſine[g] victoris macula: Sed nec ita paſtorem agnoſcimus Regē noſtrum, vt non[h] viciſſim etiam ouem fateamur ouilis Chriſti, cui[i] Epiſcopi pro ſuo[k] Canone (vt loquitur Paulus) id eſt pro ſua quaſi per regulam & lineam limitaneam admenſa portione, præpoſiti ſunt,[l] non vt Domini, ſed vt miniſtri &[m] inſtrumenta Eccleſiæ. Necenim ita vt vult[n] Bellarminus abſurdum, vt qui ſimpliciter ſuperior ſit (vt magiſtratus patre priuato) aliquo tamen ſenſu inferior ſit: cum videamus etiam Monarchas ciuiles ſubmittere ſe legitimis iudicijs, in cauſis varijs temporalibus: quo ſanè reſpectu (quemadmodum & princeps Palatinus legato Imperatoris) inferiores ſunt ijs, quib⁹ tamē ſimpliciter ſuperiores ſunt. Nec *primatem* quidem omnino regem noſtrum dicimus, multo vero minus, vt alibi loqueris, *primatem Eccleſiaſticum*. Etſi enim regi tribuimus primatum in Eccleſiam ([o] ita quidem vt ſupra expoſui) non tamen (ſi vt[p] alibi monui ſatis, propriè loquendum eſt) primatum ſpiritualem aut Eccleſiaſticum eidem tribuimus, ſed

f *Similem ingeminationem poſſeſſiui* tuus (*cuius vim in iſtiuſmodi locutionibus odioſam habes notatam ſupra Cap.2 §.4. vide pag. 7. à* Rege tuo, à capite tuo, *& primate Eccleſiaſtico.*

g *Sic de ſuis confitetur Eudæmon Iohannes in Præf: Paralleli*

h *Vide Reſponſionem ad Apologiam Bellarmini pag. 323.*

i *Act. 20. 28.*

k *2. Cor. 10. 17 ἐων ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι. Vnde & nomen Clerorum quaſi diſtributarum portionum.*

l *1. Pet. 5. 3. μὴ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων.* m *Siue Paulus, ſiue Cephas, omnia veſtra ſunt. Gerſon Eccleſia nihil agit, niſi per prælatos ſuos.* n *De concil li. 2. c. 18* o *Cap. 10. § 4, 5.* p *Ca. 5. §. 5. Vide plura infra in reſponſione ad argumentum primum cap. 21.*

potiùs primatum quoad res & personas spirituales seu Ecclesiasticas: ideoque etiam *Primatis* nomen quod officij Ecclesiastici esse intelligitur, passim Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi tribuimus. Quod autem hoc loco, quasi nondum satis testatus malignitatem & stultitiam, pro confesso apud nos sumis, non modò *excommunicari* idem esse, quod *ex Ecclesia eijci*, sed etiam hoc sensu Regem nostrum ab Episcopis excommunicari posse: vtrumque ad Catalogum mendaciorum tuorum pertinet. De Ecclesia enim longè potius intelligimus eos esse, qui per internam gratiam membra sunt corporis Christi, quod dicimus de Ecclesia inuisibili esse, quàm qui ad solennes conuentus Ecclesiasticos, aut aliàs ad conuersationem fidelium admittuntur. Itaque cum priore iure neminem per excommunicationem priuari constet, rectè negamus excommunicationem dici posse, simpliciter idem esse, quod est *eiectio ex Ecclesia*. Tu autem etiam ita vis per excommunicationem eijci ex Ecclesia, [q] vt qui in exilium mittuntur, è republica eijciuntur: quod & à ratione alienissimum est, & [r] à vestorum hominum sententiâ. Cum enim in Ecclesia (siue visibili siue inuisibili) esse, nihil aliud sit quam participem esse communium bonorum Ecclesiæ: quæ partim quidem interna sunt, vt remissio peccatorum, fides, spes, charitas, ius adoptionis, spiritus sanctus: partim externa: sed tamē aut non omnino separabilia, vt Character baptismi, aut difficul-

q *Maior (inquit pag. 44.) certa est & patet ex similit. &c*

r *Bell: Tom. 1. controu 4 lib. 3 cap. 6.* Non sunt in Ecclesia corpore & externa cummunicatione. *Suarez Tom. 5 disp. 8. sect. 1.* Non ita eijcitur fidelis ab Ecclesia per excommunicationem: quin illi maneat subditus ratione Characteris, & vnitus per fidem si alioquin illā non amittit: sed solum priuatur dicto iure morali ad vtendum Ecclesiastica communicatione. *Vide etiam disp. 9 sect. 3 7, 5 Valentia de efficacia excommunicationis, priuari vult neminem per eam, nisi ys bonis quæ* alioqui pendeāt ex placito & peculiari intentione Ecclesiæ.

ter ſeparabilia vt [f] mutua charitatis auxilia & profeſſio fidei Catholicæ: partim denique externa, & non ita difficulter ſeparabilia, vt ius ad communionem in ſacramentis, & publicis conuentibus Eccleſiaſticis: item ad externam conuerſationem priuatam, in qua libertas Chriſtiana domeſticis fidei plus tribuit, quam τοῖς ἔξω: Certè nec ex primo bonorum communium genere, nec [t] ex ſecundo, quicquam per excommunicationem amittitur: ſed tantùm ex tertio, cuius generis bona, prout per diuerſam excommunicationem, aut pleraq; , aut potiora, amittuntur: ita maior eſt, aut minor excommunicatio: omnia enim huius tertij generis ne per vllam quidem excõmunicationem ſimpliciter amitti, innuit Canoniſtarũ veſtrorum verſiculus, qui in Tortura recitatur, *vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*, ex quibus omnibus rationibus fieri vultis, *vt ne poſſit obeſſe* excommunicationis *anathema*. Etiam erga Ethnicum (vt ſcis) libertas Chriſtiana non pauca præſtat humaniter: excommunicatus autem nemo vltra quàm *ſicut Ethnicus*. Itaque quicquid apud vos ſtatuitur, nobis tamen, idque etiam ex veſtris principijs, certiſſimum eſt, excommunicatione ne-

f Ea ſcilicet quæ debita ſunt non omnem etiam quæ libertati Chriſtianæ permittuntur: hæc enim non ita difficulter ſeparabilia.

t In hoc genere, de ſolis officijs charitatis dubitari poteſt: de quibus Valentia libro prædicto cap. 3 Eccleſia minimè ſubtrahit excommunicato omne charitatis officium, nam licet vnicuique illum ad pœnitentiam adhortari & de ijs rebus cum eo agere quæ ad emendationem vitæ mouere poſſint: quod faciendum eſſe monuit Apoſtolus: cum de illo quem vitari iubebat, ſubiunxit. 2. Theſ. 3. nolite vt inimicum exiſtimare: ſed corripite vt fratrem: *hæc ille, ex loco Pauli: ex quo etiam loco colligitur non modò ἀγάπης ſed & φιλαδελφίας officia etiam excommunicatis deberi: vide in Tortura pag 47. & 48. vbi enumerantur varia officiorum genera, quibus ex doctrina Eccleſiæ Romanæ excommunicatio nihil obſtat: ex quorũ analogia, facile colligitur excõmunicatis non obſtante cenſura, deberi omnia officia charitatis, exceptis ſolis ijs quæ libertati Chriſtianæ, ante cenſurã indeterminata permittũtur: quò etiã ſpectat quod modò ex Valẽtia recitatũ eſt, per hanc cenſurã excludi tantũ à bonis, quæ* alioqui pendeant à placito Eccleſiæ.

minem ne à visibilis quidem Ecclesiæ communione in rebus plurimis & longè maximis abscindi: sed in tertio tantum genere communium bonorũ: quæ vtcunque magna, minora tamen multò sunt, quam quæ vtrouis priorum generum continentur.

Ad hæc, cum subditis erga regem, (vt par est) longe angustior sit & minor libertas Christiana, quàm vel filio erga patrem, vel coniugi erga coniugem, excommunicatio autem (vt dixi) eam modò communionẽ, nec eam tamen omnem abrumpat, quæ pendeat à libertate Christiana, certè necesse est, sicut ceteros nec penitus nec maxima ex parte, ita regem vel non omnino vel non magna ex parte, per excommunicationem priuari posse bonis Ecclesiæ communibus. Nec enim officij peculiaris ratione solum, sed & scandali metu restringitur libertas Christiana, & *si non potest sine scandalo prouideri, æquanimiter sustinet* [u] *Alexander vester tertius, siquis mandatum suum non duxerit exequendum.* Et quis non videret scandalum fere semper esse in excommunicato rege: & non minus rectè de rege plerumq; dici quod [x] Augustinus rectè & sapienter de multitudine? *Si contagio peccandi multitudinem inuaserit, consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia & superba sunt: & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigunt animosos malos.* In Tortura, per totam ferè disputationẽ vt supra monui, & iterum dicendum est, supponitur & quasi admittitur totus primatus Papalis: hinc est, quod quædam apud supinitatem tuam ita sonent, ac si non minus in Regẽ, quàm in quemuis ali-

u *Cap. cum tẽ neamur de præbend.*

x *Contra Epist. Parmeniani lib. 3. cap. 2.*

alium valeret excommunicatio: ſed aliam longe eſſe doctiſſimi Epiſcopi ſententiam, vel ex eo intelligas, quòd ait, y *cenſuram quæ ex charitate eſt, non debere contra charitatem militare: nec poteſtatem, quæ ad ſtructuram eſt, ad deſtructionem operari: & omnino pro vitando ſcandalo ceſſare debere rigorē diſciplinæ.* Nec enim indulgentias damnamus omnes, ſed veſtras: Nec obſcurum, in perſona Regia, ad vitandum ſcandalum, opus eſſe indulgentiâ: vel potius omnino neceſſarium eſſe vt indulgeatur. Nec tamen ita hoc dicimus, quin quod Ambroſio licuit in Theodoſium (quod tamen ab *eiectione ex Eccleſia* longè abfuit) idem & alijs, ſi quibus adeſt Ambroſianus ſpiritus, & parilis ex vitæ ſanctitate auctoritas, in Regem, ſimili de cauſa liceat. Sed quorſum hæc omnia ad tuas ſine teſtimonio, ſine argumento aſſertiones nudas? aut quid tibi hæc tam ad propoſitum controuerſiæ intimū, qui non niſi ἐπιπόλαια, & in ſummo natitantia comprehendis, aut ſaltem inſtar muſcæ z impudentis, non vltra ἐπιδερμίδα, aculeum imprimis?

y Pag. 48.

z *Quæ redit, etſi ſæpe repulſam patiatur:* Homerus Iliad. de Aiace καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν.

Cap.

CAP. XIIII.

a Becan. p. 5. 28 Tortur. pa. 186.

Paradoxum decimum facis, quod dicat [a] *Prophetiam Apocalypsis de Antichristo, iam impletam esse: & proinde claram, ac minime intricatam.*



QVorsum Paradoxa (quæ vocas) singula bis repeteres, semel seorsim, & iterum in Catalogo, vix satis intelligo: nisi forte, vt altera recitatio, alteram mendacij conuinceret: in catalogo obijcis, ac si simpliciter dixisset, claram & minimè intricatam Prophetiam: hîc sat habes, si tam claram dixit vt oculis vsurpari possit: fallacia vt scis *à dicto comparatè*, ad *dictum simpliciter*. Sed & turpitudo in obliuione: *nam si mendacem non dedecet esse* Becanum: *mendacem immemorem dedecet esse tamen.* Altera fallacia *à præsumptione*, & confidentiâ: quasi nefas sit de eo dubitare, de quo tu loquaris confidenter. *An*, inquis, *quod Regi tuo obscurum & inuolutum est, tibi quotidie oculis vsurpatur?* quibus iter erat *quale per incertam noctem sub luce maligna, est iter in syluis*: semitam credo, & alia obuia oculis vsurpabant, alioquin, vnde illud, *cernit ibi moestos, & mortis honore carentes?* sic ergo quæ Rex obscura vocat & inuoluta, quidni noster Episcopus quotidiè (id est indies magis ac magis) vsurpari oculis nostris dicat, vtcunque eadem qui videt, *vix multa videt agnoscitque sub vmbra?* Tertia fallacia *in metonymia*

mia: Rex expoſitionem ſuã Prophetiæ Apocalypſeos vocat coniecturam: hinc tu res in Apocalypſi prædictas, quæ metonymicè Prophetia ipſa dicuntur, colligis non quotidiè vſurpari oculis. Sed & addis quartam fallaciam à diuiſis ad coniuncta: *Non tam clara*, inquit Epiſcopus, *hæc interpretatio in ſcriptis patrum, quam nobis qui Prophetiam conſummatam quotidiè oculis vſurpamus*: hinc tu, tam claram vt oculis vſurpetur. His adiungis etiam quintam fallaciã: *Prophetiam Apocalypſeos*, inquit, (illam puta de qua ſermo inſtitutus fuerat) *conſummatam quotidie oculis vſurpamus*. Hinc tu, quaſi totam Prophetiam de Antichriſto, aut certè maxima ex parte iam impletam & proinde claram dixiſſet. Non leuis hæc fallacia *à parte aliqua ad totum*, vel certe *ad maximã partem*: ſic enim neceſſario capiendum, quod ſimpliciter dicis Prophetiã de Antichriſto ex Epiſcopi ſententia iam impletam eſſe: & niſi ſic velis, vt intelligat maximâ ſaltem ex parte impletam, nihil inde ſequitur, quin obſcuritatibus (de quibus in præfatione Regia) locus aliquis ſit. His ergo fretus fallaciarum vel potius nugarum armis, de Sacellano quem vocas, id eſt de Epiſcopo Eccleſiæ Anglicanæ egregio, mirum quàm glorioſè crocitas: ſed & Regem Potentiſſimum Moguntino vel potius Ieſuitico aceto aſpergis: *hoc ſalſum eſſe putas, fugit te inepte. Tibi*, inquis, *ſacellane* (ſic vocas, quaſi iam tuus ſacellanus eſſet: cum autem ſic vocas, cuius vel diſcipulus tibi ſit pro pædagogo: nondum enim exceſſiſti μέγα νήπιος e puerilibus) ſed quid vis virum occupatum ſemper ad grauiora vacantem? mones de æquiſſima Regis benigniſſimi poſtu-

postulatione, siquis coniecturam Regiam de Antichristo refellere aggredietur, *velle eum vt singulis partibus ordine respondeat:* vtinam vero te ipsum hoc monuisses: qui professus Regem refutare (nec hoc solum in titulo libri contra Regem, sed & in hoc libellulo [b] semel atque iterum) nihil minus fecisti quam vt ad singula responderes. μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός: odi etiam monitorem, qui sibi ipsi non suggerit: sed Episcopum tamen nostrum habes quod moneas: vt quanquam Rex postulet, aut non omnino sibi, aut ad singula responderi, ne faciat tamen: vt quando is ei animus, vt Regem suum refutet, tuo more faciat, & quam paucissimis rem conficiat, imo te tua arte superet: *vno verbo rem conficiet:* quam rem? quam quæso nisi quam habet sibi propositam refutationem Regis? sed quodnam verbū illud vnū quo hanc rem conficiet? audiamus Prosopopœiam Dramaticam, conficiet si dixerit, *Domine Rex erras de coniectura, quod oculis vsurpatur extra coniecturam est: nos omnes oculis quotidie vsurpamus mysterium Antichristi: tu solus in Anglia non vides?* hoc inquis dixerit & *vicit.* Acta hæc fabula Moguntię in camera Hypercritica, ludis Iesuiticis, Becanus Morio, Becanus fecit, Becanus applausit: *Ipsa sibi plausit crepitante ciconia rostro.*

b *In præfatione ad Archiepiscopum Moguntinum* vtrumq; refutaui: *& iterum pag.* 12. Vide quæ à me dicta in refutatione Apologiæ Regis Angliæ.

§. 2. *Pauperis est numerare:* reliqua mendacia (priores enim fallacię in recitatione sentētię alienę, quid nisi totidē mendacia?) habe iam sine numero: *perturbabimus illa ne sciamus: & nequis malus inuidere possit, quod tantum tibi sit mendaciorum.* Rex dicit definitionem Antichristi obscuram: testantur ipsissima verba quæ recitas: tu Regē dicere Propheti-

am,

am, id eſt integram prædictionem de Antichriſto obſcuram eſſe. Rex expoſitionem ſuam de Antichriſto modeſtè *coniecturam* vocat: tu hanc modeſtiam ſic interpretaris, ac ſi nihil poſſit certi ſtatui de Antichriſto. *Rex*, inquis, *diſertè ait*. *per ſolas coniecturas de Prophetia illa diſputari poſſe.* Vnum quidem hoc toto loco facis ingenuè: quod ſuppo-nas Papam eſſe Antichriſtum: *Sit*, inquis, *ita*: da veniam Becane, vt ne hoc ſtatuamus: ſentiamus honorificentius de Paulo quinto Neapolitano *vicedeo*: imo vero niſi hoc poſuerit Epiſcopus, non poterit abſurditatis conuinci: quod cum Papæ tribuit poteſtatem excommunicandi Regis Iacobi, etiam Antichriſto hanc poteſtatē attribuat. Quid ergo Papę tribuit hanc poteſtatem? Alibi, inquis, hoc dicit: tu quidē hoc & hîc & alibi mentiris: inde hoc colligis, quia dicit *poteſt forte Pontifex*: ponit enim non concedit hanc poteſtatē, in tota controuerſia de iuramēto fidelitatis: hoc tu & ſtultè & improbè ad abſolutā confeſſionē rapis: & iam ſecundò aut tertiò nobis inculcas, etiam iterū inculcabis, vbi reſpondebitur plenius: interim in mendacijs tuis hoc mendaciū loco aliquo illuſtriore colloca, vt quod vnicè, & præ cęteris diligas: nam & in proſegomenis contra Regē vſus tibi huius mendacij non vulgaris. Nec min⁹ tritus tibi vſus alteri⁹ mendacij, quod ſtatim ingeris Epiſcopo noſtro (cui viro? quàm veſtris diſſimili?) propoſitū, cum ſe ad ſcribendū contulit, Regi per adulationem placere: de hoc mendacio in famā boni viri, nondū exoluam quod promiſi iam ſæpius: iterum hoc obtrudes, atque iterum. Sed cum ais *caue ne dum adulando placere vis Regi, per*

impruden-

imprudentiam displiceas, id innuis, Regi placeri per adulationem, modo callida sit: displiceri autem per imprudentiam: neutrum verum: ignoscit enim Rex clementissimus imprudentiæ: adulationem autem vel callidissimam cognoscit, & à se aspernatur.

CAP. XV.

a Bec. pag. 30. Tortur. pag. 53.

Paradoxum undecimum [a] *facis quod dicat, Reges Daniæ, & Sueciæ, nec non Principes Germaniæ, consentire Regi Angliæ in rebus fidei.*



On *vnũ hic*, sed (si tibi credim^9) eâdẽ operâ & alia reperisti *duo Paradoxa*. Primum contra Principum consensum disputas. *Reges Daniæ & Sueciæ Lutherani sunt, & realẽ Christi in Eucharistiâ præsentiam agnoscunt: ergo cum Rege Iacobo non consentiunt.* Lutherani, inquis, realem Christi in Eucharistia præsentiam agnoscunt: audi [b] Bellarminum: *Laborant*, inquit, *totis viribus tum Lutherani, tum Caluinistæ, vt veram Christi carnem in Sacramento nobis communicari doceant.* Sed quorsum vrges non consentire *in omnibus* rebus fidei? fatemur in aliquibus dissensum: nec *in omnibus* consentire dicuntur apud Episcopum: nec ad rem erat ita dici aut supponi. *Vel Rex Anglorum* inquit [c] Tortus, *ad gregem Dominicum nullo modo pertinet: vel S. Petro, eiusque successoribus subditus est.* Posteriori membro huius dilemmatis Episcopus contradictionem opponit: Iacobum Regem,

b In præf. controuers. de Sacramentis.

c Pag. 18.

&

& qui cum eo sentiunt, Reges Daniæ, Sueciæ &c. nihilo minus ad gregem Dominicum pertinere. Ita illud, *qui cum Iacobo Rege sentiunt*, positum pro *qui cum eo renuunt Papæ subijci*: ex Torti enim negatione, hæc quæ ei oponitur affirmatio exponenda. Negat ille ad gregem Dominicum pertinere quenquam, nisi qui Petri successoribus (id est Episcopo Romano) subditus sit: noster ex aduerso affirmat pertinere, qui cum Rege Iacobo sentiunt: quis non hic videat, non agi de consensu in omnibus, aut in plerisque rebus fidei, sed de consensu non obediendi Papæ Romano? repete iam Paradoxum admirabile. Reges Daniæ & Sueciæ &c. consentiunt Regi Angliæ contra primatum Papæ Romani: audiamus & præclarum argumentum tuum, quo hoc refutas: Reges Daniæ Sueciæ &c. Lutherani sunt, ergo non consentiunt Regi Angliæ contra primatũ Papæ Romani ὅμοιοι τῷ πίθηκος ἐν αἰδήμονι ἀιλφυσας.

§. 2. Sed esto, simpliciter intellectum, voluerit sentire illos cum Iacobo Rege: an ergo & in omnibus? nescis aliud esse ἁπλῶς, aliud παντελῶς? ex parte maxima consentire scis ex Harmonia confessionum: & ex parte maxima denominationem fieri, scis ex rudimentis dialecticis. Parergon hoc totum apud Episcopũ, de consensu Protestantium: ipsius quæ recitas verba hoc te monuissent (*si*, inquit, *præsentis instituti foret*) tibi tuo more, & hoc quoque ex parergis ἐπέργον est. Sed quia operæ non vile pretium, sequor hoc loco non inuitus: vt vel vnitati vestræ quam pro notâ Catholicæ Ecclesiæ iactatis, renuntiandum tibi sit, vel agnoscendum posse vnitatem

tatem Ecclesiæ (quæ consentientium certè est) cum graui sæpe dissensu & eo de nonnullis fidei capitibus, consistere.

Est enim apud vos vnum ex præcipuis fidei capitibus, primatus Papæ spiritualis, supra non partem, sed vniuersum orbem Christianum: nec magis à nostra fide dissident Lutherani, quàm siquis hunc primatum aut in Siciliam, aut in Galliam negaret, idem à vestra fide dissideret. quid ergo? nemo ex ijs quos inter consentientes cum Paulo quinto numeras, negat aut reijcit hunc primatum in Siciliam: nemo eundem in Galliam? certe, si qui nunc sunt Galliæ & Hispaniæ Serenissimi Reges, quorum de consensu cum Paulo 5. gloriaris, maiorū vel animos tuentur vel instituta, eorū alter, vt Baronius nos docet, parum aut nihil abest, quin de Sicilia hoc faciat: alter vt acta publica testantur, de Gallia idem facit: de Gallia notius, de qua habes locū insignē in [d] Monitoria præfatione Regis optimi: sed si adhuc plenius tibi satisfieri, vide in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ, per Laurentiū Bochellū editis, anno 1609. libro quarto, titulo, de iuribus Ecclesiæ Gallicanæ: item libro 5. titulis, de potestate regali & Pontificia; de summo Pontifice, de Legato summi Pontificis. De Sicilia testis controuersia nupera inter duos Cardinales Baronium & Columnam: testis etiam apud Baronium locus in [e] Annalibus qui controuersiæ occasionem dedit: quo loco à Carolo quinto, quasi per alias occupationes non satis ad hoc attento, edictum accusat Baronius *quo grande piaculum* (vt ait) *perpetratur*, contra auctoritatem Apostolicam: dum temporali iurisdictioni spiritualem adiungit:

d *Pag. 31. & sequ. editionis Londinensis anno* 1609.

e *Tomo* 11. *anno* 1097. *nu.* 18.

Carolus

Carolus: poteſtatem etiam Cardinales & Papales Nuncios excommunicandi aſſumens: & *alterum caput Eccleſiæ pro monſtro & oſtento* conſtituens. Nec ipſi ſanè Philippo tertio, in Epiſtola ad eundem qua ſe excuſatum cupit, aliter parcit hic Cardinalis, niſi quod ſperet fore, vt auita paternaque iuriſdictione Sicilienſi ſe abdicet.

§. 3. Age iam, & poteſtatem illam vide, quam Papæ veſtro tribuitis, vt ſubditos excommunicato Rege officio ſoluat, ipſumque adeo Regem regno deponat: præcipuum quoddam fidei veſtræ Catholicæ caput hoc eſſe ſtatuit Bellarminus, & in Torto, & in Epiſtola ad Archipresbyterum Blackwellum: *Videbis*, inquit ad Blackwellum, *non eſſe rem paruam, quæ ob iuramentum hoc in diſcrimen adducitur: ſed vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, & religionis fundamentis*: ſimilia habet [f] in Torto: *primum*, inquit, *oſtendemus iuramentum Catholicis propoſitum abnegationem fidei Catholicæ requirere.* Et quo modo hoc oſtendit? quia [g] in eo abnegatur primatus ſedis Apoſtolicæ: hoc autem quomodo oſtendit? quia negatur excommunicato Rege abſolui poſſe ſubditos, aut ab hoc iuramento fidelitatis, aut omnino ab officio erga Regem: vt verbo dicam, (nam cætera huc ſpectant) quia hoc iuramento negatur Papam poſſe Regibus ijs quos habet pro hæreticis, regna adimere: ita hanc poteſtatem Papalem non minus principali loco in articulis fidei veſtræ ſtatuitis, quàm Lutherani vlli ſtatuunt Vbiquitatem ſuam. Quid ergo? omnes qui de hac poteſtate à vobis diſſentiunt, à parte Papæ veſtri excludes? &, vt Nero Romanis ſuis optauit vnam

f Pag 7.

g Pag. 9.

vno ictu amputandam ceruicem, tot acerrimos Papismi assertores, vno anathemate à vestro corpore diuelles? Nam quod (vt personati solent impudentiam cum persona sumere) ita personatus [h] in Torto Bellarminus, non erubescit dicere, etsi de modo (puta directè ne an indirectè competat Papæ potestas Reges hæreticos deponendi) Theologi & iureconsulti disputant, de re tamen inter omnes conuenire, quam malè hoc inter vestros Catholicos vel iure consultos, vel Theologos conueniat, habes apud Episcopum [i] in Tortura Torti: vbi ex purè Catholicis vestris complures vtriusque generis nominantur, qui contra sentiant. Ad hos, si nondum satis euidens de hoc capite fidei vestræ apud vos controuersia, adde qui à Rege optimo in nouis Torti dogmatibus accensentur, Archiepiscopum Treuirensem, Bennonem Cardinalem, Vincentium in speculo historiali, Apologiam pro Henrico quarto, & alios ibidem plures: in quibus & Episcopi illorum temporum, quorum sententiæ ab Auentino libro quinto descriptæ. Adijce etiam [k] Practicum Ferrariensem qui vixit ante annos 150. & ex recentioribus Ferum apud Sixtū Senensem, bibliothecæ lib. 6. annot. 72. & ex Scholasticis, de quorum hic consensu [l] inprimis gloriamini, Durandum de modo celebrandi concilij, quem refert Catalogus testium. Accedat & Gregorius Thologanus de republica lib. 25. cap. 5, vbi Reges Galliæ & Hispaniæ vult in temporalibus nullum agnoscere superiorem, nec posse priuari suo imperio. Vide & apud eundem lib. 26. cap. 7. & apud Claudium Espencæum Episcopum copiosè in Epistolas ad

h *Pag. 16. & iterum pag. 73. proferat inquit vel vnum Catholicum auctorem &c.*

i Pag. 23. 24. 30. 208. 137.

k *De iure conferendi Episcopatus.*

l *Bellar. in Torto pag. 72. vide apud Episcopū in Tortura Torti pag. 209. vide etiam Georgij Blackwelli examinationem quæ extat Latine.*

-ad Timotheum, & ad Titum: de quo tamen Paulus quartus, in consacerdotum suorum collegio cooptando, seriò cogitasse dicitur. Adijciatur & liber collegij Wisbicensis (id est sacrificorum vestrorum quos in Angliam remisistis) [m] in responsione ad ordinis Iesuitici patronum. Vide & patronos causæ Venetæ, à quibus [n] teste Adamo Tannero Iesuitâ in Ingolstadiensi Academia professore, si quæras qua auctoritate leges (de quibus controuersia extitit) in Ecclesiasticas personas latæ fuerint, respondebunt (inquit) rotundè omnes, propriâ auctoritate secularis Principis, superiorem non agnoscentis. Planè necesse de hoc [o] capite fidei vestræ Catholicæ, inter Catholicos vestros fatearis tres esse sententias famosiores: primā Baronij & Canonistarū, Papam directè esse Dominum orbis, & Regum iudicem: secundā Bellarmini, & Iesuitarum non directè esse sed tamen indirectè: tertiam vt ita dicam [p] Gebelinorum, nec directè esse nec indirectè: deest tantum quarta, quam vestræ scholæ facile tandem excudant, quæ & vtroque modo hanc potestatē Papę competere asserat, & neutro. Sed ad hunc de vno ex capitibus fidei vestræ dissensum, inter vestros homines manifestissimum, quid tandem vt ne Ecclesia vestra vnitatis *notam* quam iactat, amittat, respondeas: nisi eâdem etiam operâ fateare, Protestantium Reges, Principes, Ordines, de quibus apud Episcopum, & inter se & cum Rege Iacobo (etsi nonnullus etiam sit dissensus) in vnam fidem saluificam consentire? Nec enim inter fratres ex ortis inimicitijs (nedum dissensu) statim necessitudinis insitæ vis & memoria extinguitur: [q] Δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγχνον οὗ πεφύκαμεν.

m Pag. 15.

n *Defensione Ecclesiasticæ libertatis, l. 1. c. 1.*

o *Vide paulò supra.*

p *M. Iordani verba in Chronicis sub finem: decrementi* (inquit) *causam ego relinquo Guelphis & Gebelinis disputandam.*

q *Aeschylus sept. ad Theb.*

§. 4. [r] Nec concordem in omnibus concordiam dixit Episcopus: nec *insinuat* ille, sed tu quidem, calumniandi Regis optimi occasionem captans, impudenter fingis, *insinuari* hoc loco, quasi Rex Iacobus *cum Caluinistis profiteatur religionem Caluinisticam: & cum Lutheranis Lutheranam.* Iesuitica ista sunt, vel potius Thersitica.

Verba Becani quomodo ergo dissecti inter se, cum Rege tuo conspirare possunt, Nisi Rex tuus (quod insinuas) cum Caluinistis, &c.

Θερσῖτ᾽, ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητὴς:
ἴσχεο: μὴ βασιλῆας ἀνὰ στόμ᾽, ἔχων ἀγορεύοις:
οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον.

ἰλιαδ. β.

Nec parcis hic irreuerenter habere sanctum Apostolum: cui aut seriò aut scurriliter illudis, dum in Iacobo Rege reprehendis, quod Apostolus de se iisdem verbis profitetur, [s] *omnibus se omnia factũ vt omnes lucrifaciat.* Ita simul & in Maiestatem Regiam, & in eiusdem maiestatis assertorem, Paulum Apostolum petulanter contumeliosus es. Nec inusitatæ apud vos huiusmodi profanæ in sacras sententias petulantiæ: apud quos illa *Lucretia nomine sed re Thais* [t] *Alexandri filia, sponsa, nurus,* quia quod peperit, à patre & filio (id est à Papa Alexandro sexto, & filio eius Borgia) profectum putabatur, dicta est peperisse, quod horreo scribere. Nec in adagijs modò & sermone quotidiano, sed & in tractandis controuersijs, probari inter vos hoc genus profanæ licentiæ, testis ille qui primus (quod scio) contra iuramentum fidelitatis scripsit Stanislaus Cristanouic, [u] in ironica illa blasphemia de matre virgine: testis & [x] qui furiosam illam Baronij contra Venetos Pæræncsim tuetur: qui cum ad felicissimæ nuper-reginæ Elisabetæ, & Iacobi nunc regnantis famam conspurcandam, multis sacrarum scripturarum locutionibus & sententijs per profanam

s *Reprehensionem, quam in detortione horum verborum innuit Becanus Iesuitis quadrare testatur celebre illud Alexandri Hayi Iesuitæ,* Iesuita est omnis homo.

t *Sannazarius poëta Italus qui hoc eodem tempore vixit.*

u *Pag. 8.*

x *Sub nomine Nicodemi Macri.*

nam & puerilem ingenij exultantiam abuteretur, in præfatione ad Lectorem, Socratem, quem vocat derisorem hominum, maximè potentum, pro exemplo sibi proponit: librumque adeo suum *in sacrificium* offert *risui & lubentiæ.* Nobis non licet esse sic acutis. Nec *insinuatio* (quàm dicis) nostra est, aut huius viri inter Anglos insignis, cui obtrectas: non est virorum talium, nec illa propriè dicta *insinuatio*: quam Palpi nomine (ne phrasis ex Plauto scurrilis nulli tibi vsui esset) statim huic viro obijcis: nec ista quam hîc ridiculam fingis vt insinuet ea quæ obscurè contra seipsum inuitus significet: Vestra est vtraque, & inprimis, illa eorum qui Palpum tuum obtrudunt, [y] & in domos & in sinus locupletum, quasi furialis ille anguis, se insinuant.

Ille inter vestes & lævia pectora lapsus,
voluitur attactu nullo, fallitque furentem;
vipeream inspirans animam.

[y] *Vide consultationem Gemellam de fratribus Iesuitis: alteram Caroli Molinæi: alteram Ponti Tyardæi docti, & modesti Romano Catholici Episcopi Gallicani, contra Pseudo Iesuitam Carolum huius Episcopi verba pag. 34. Ordinarias (inquit) & vsitatas istorum per domos viduarum Cantillationes (de Iesuitis loquitur) cursitationes, & frequentes ad aurem secretiores collocutiones, suspectas habeo: ansas enim malitiosis præbent, dubias conscientias & anxias decipiendi --- quibusdam interrogationum formulis circa scrupulosas peccatorum differentias, obscœna & impudica quædam nimium Volscè loquentes & Opicè, anquirunt, &c.*

De re, iterum moneo atque iterum: caue neges Catholicè consentire, nisi qui in omnibus maioris momenti consentiunt: quantum hoc intersit vestra, vide insignem locum apud doctissimum Thomam Mortonum Decanum Wintoniensē, in illa irrefragabili sua Protestantiũ Apologia Catholica, parte prima, libro primo, cap. 9. vbi in plerisque nostris

vobiſcum controuerſijs, habes non modò noſtrum conſenſum, veſtrorum hominum ore teſtatum, ſed & veſtrum inter vos diſſenſum, & in ſingulis quæſtionibus aliquorum ex veſtris nobiſcum conſenſum. Quanquam & tota illa Apologia teſtimonijs veſtris decenni opera comportatis, vtrâque ſui parte nihil aliud agit, niſi vt noſtra ferè ſingula, aliquorũ ex veſtris hominibus confeſſione confirmet.

§. 5. Altera apud te reprehenſio eſt, quod Reges illi cum principibus atq; ordinibus Germaniæ, qui apud Epiſcopum nominantur, pars gregis dominici dicantur, cum partem aliam, quæ vnum cum hac parte gregem faciat, non ſit inuenire. *Si alij* inquis, *quare non nominauit? aut qui illi ſunt? non opinor* (inquis) *Pontificios aut Anabaptiſtas eſſe*: miſerime obtrectator, ipſa apud te verborum Epiſcopi recitatio, reſponſionem frigidiſſimæ tuæ quæſtioni ſuppetit: non nominauit, quia præſentis (vt ait) inſtituti non erat: etiam quia longum erat recenſere, curioſum exquirere partes alias: nihil ergo neceſſe (quod tu ſomnias) vt aut Pontificios, aut Anabaptiſtas eandem in caulam compingat: aut omnino faciat ouile Chriſti, eiuſmodi cõſtare partibus, quarum ab alijs aliæ ſint diſſectæ. Quid enim ſi ne potuit quidem plures nominare? ideone perperam ſenſit multo plures eſſe, quam quos ipſe noſſet? docet ſanè nos ita de ignotis iudicare, oraculum Eliæ redditum, de ſeptem millibus in Iſraële reſiduis, quorum ille neminem nouerat, neminem vſquam reperiri potuiſſe putauerat. Quid verò ſi in terris pars nulla gregis dominici, præter quos nominat Epiſcopus? inepte, at pars tamen aliqua

in cœlis, quæ cum hac parte in terris totum gregem cõponat. Quid si Pontificij Hispaniæ aut Italiæ (in quo tamen nos potius ἐπέχομεν) nulli ex hoc grege Dominico? an ergo in medijs Pontificijs in Hispaniâ & Italiâ, nulli à nobis? imo & multi: testis Inquisitio vestra in his regionibus vix vnquam otiosa: adeone verò te Historiarum rudem haberi vis, vt nescias, quod in [z] Catalogo testium veritatis, ex Reynerio recitatur de Waldensibus (qui exceptis vestris calumnijs inter Protestantes numerandi sunt) dispersis ante annos trecentos, etiam per Longobardiam, & in omnes ferè regiones? In septentrione fere toto, inquit [a] Acosta vester, a Romano Pontifice facta discessio certè & inter Græcos, & Assyrios, & Armenios, & per Asiam, Ægyptũ, Æthiopiam, Russiam, dispersi Christiani, qui Romani Pontificis potestatem nesciunt: in quibus si partem gregis Dominici, nec eam ouilis Pontificij, Episcopus posuit, quis reprehendat? Nam quod quidam vestrum, etiam ex remotis hisce Ecclesijs, plerasque in Romani Pontificis obedientiam iamdudum concessisse volunt, vnanimi Bellarmini & Salmeronis confessione corruit. [b] Bellarminus, *obyciunt*, inquit, *nunc Ruthenos, Armenos, Æthiopas, Ægyptios, & nescio quos populos alios, suis vulgaribus linguis sacra facere: respondeo exemplis Ruthenorum, Armenorum, & similium, non magis nos moueri, quàm moueamur exemplis Lutheranorum: sunt enim illi vel hæretici, vel Schismatici.* Similiter ad eandem obiectionem Salmeron, [c] *respondemus*, inquit, *nos non permoueri Barbarorum exemplis.* Quod enim in Decreto Eugenij quarti, in Concilio Florentino

z Tomo 2. pag. 543.

a Iosephus Acosta Iesuita de Christi reuelatione & temporibus nouissimis cap. 2.

b De verbo Dei lib. 2. c. vltimo in fine.

c In 1. Cor. 14. disp. 3. §. 7. pag. 271.

rentino, paulò ante finem decreti, dicitur *Armenorum oratores nomine suo, & sui Patriarchæ & omnium Armenorum, celeberrimum* (vt vocat) illud *synodale decretum acceptare, nec non quicquid docet Romana Ecclesia*: quàm parum fidei mereatur, cum constet Armenios in Concilio illo nihil neque dixisse, neque egisse: testis ipsius Binij in annotatione in hunc locum, mira fluctuatio: [d] *vnde*, inquit, *necessariò colligitur, Græcos & Armenos, hucusque Florentiæ permansisse: vel quod probabilius est, eandem synodum post abitum Græcorum & Armenorum, aliquot sessionibus, quarũ acta nulla extant, continuatam: vel saltem quandã aliam, ab Oecumenica synodo diuersam, eodem anno quo prædicta synodica Epistola Eugenij, celebratam fuisse.*

d *Tom. 4, Concil. pag. 503.*

§. 6. De Græcorum submissione quod habet [e] Bellarminus lib. 3. de sacramentis, quasi sub Innocentio tertio in concilio Lateranensi, circa annum 1195. Græcanicæ Ecclesiæ Pontificis vestri primatum agnouissent: satis hoc ex concilio Basiliensi [f] apud Surium vestrum refellitur: & eadem etiam opera refutatur quod habet [g] Binius de Græcorum submissione altera in concilio Lugdunensi, anno 1274. sub Gregorio decimo: quanquam & Lugdunense concilium Surius prætermittit, qui tamẽ, quæ pro Papa vestro facerent, non solet prætermittere: sed & Alphonsus à castro hæresi de Græcis, non solum Lugdunensem, sed & Lateranensem submissionem excludit: quingentis, inquit, annis Græci à Latinis diuisi: Bellarminus quoque sibi parum constans, tum Lateranensem, quam alibi vt dixi posuerat, tum etiam Binij Lugdunensem reijcit:

e *Cap. 21.*

f *Sessione 24.*

g *Tom 3. concil. pag. 1494*

reijcit : cùm in controuersia [i] de extrema vnctione, *quingentis*, inquit, *annis à nobis Græci separati fuerunt :* idem libro primo de Romano Pontifice, *à Romano Pontifice iamdiu*, inquit, *recessit Græcia : nec nunc patitur Romanum Pontificem, apud se aucloritatem aliquam exercere :* in præfatione controuersiæ de Romano Pontifice, Græcos ait diuisos à Romana Ecclesia annis 800. ex quibus vestrorum hominum confessionibus, & ex Nili [k] non ita pridem Archiepiscopi Thessalonicensis libris duobus περὶ τῆς τοῦ πάπα ἀρχῆς, & ex Barlaami doctissimi Monachi Græci libro eiusdem argumenti, qui non procul à Nili istius ætate abfuisse videtur, manifestò liquet tertiæ quoque de Græcis gloriationis vestræ vanitas, qui etiã in concilio Florentino, sub Eugenio quarto circa annum 1430. Græcos se Romano Pontifici submisisse vultis. Etsi enim nostrorum quoque [l] non nullis hoc persuaseritis, stant tamen in contrarium testimonia quæ dixi ; quibus etiam accedunt, quæ de Græcis in hoc concilio apud Surium habentur : vbi Imperatoris legati respondent se nullam habere ad quæsita respondendi facultatem, Imperatori autem se omnia relaturos. Apud eundem Surium, cum mortuo Patriarcha Constantinopolitano, Eugenius alium à Græcis in concilio eligi voluisset, vt eundẽ ipse confirmaret : respondent, *Patriarcham nostrum extra Constantinopolim nostro iure eligere non possumus: & hoc Imperator consuetudinis nostræ non inscius, nequaquam permittet, vt hic electionem eiusmodi faciamus.*

Vis etiam, quoniam hucusque prouecti sumus, de Abdisu Assyriorum Patriarcha, quem quasi ve-

strum

i *Cap. 4.*

k *Salmasius qui Nilum de primatu edidit, in præfatione ad Lectorem, ait hunc Nilum in alijs scriptis suis nondum editis mentionem facere Thomæ Aquinatis.*

l *Osiandro in Epit : Histor : Eccl. centur. 15. pag. 477.*

ſtrum vendicatis, quæ ſunt certioris fidei cognoſcere? eſt enim auctoritas certior quam Amulij Cardinalis literæ ad Legatos concilij Tridentini, ex quibus noſtrates quidam, ſed partis veſtræ, hunc Abdiſu concilio Tridentino ſubſcripſiſſe confirmant. Quanquam literæ quidem illæ de ſubſcriptione nihil [m] referunt: tantum hunc Abdiſu à clero electum, conſenſu populorum Chriſtianorum circa Tigrim accolentium, Romam [n] anno ſuperiore, quam hæc ab Amulio ſcriberentur, appuliſſe, vt à Romano Pontifice in ſuo Patriarchatus munere confirmaretur: eundemque in conſiſtorio Cardinalium, poſt editam fidei confeſſionem, iuramentum præſtitiſſe ſe nunquam ab obſeruatione decretorum ſedis veſtræ Apoſtolicæ diſceſſurum, &c. Sed certiora (vt dixi) ſequimur. [o] Extant Aſſyriorũ literæ ab Andrea Maſio Latinitate donatæ: vbi & alia ad veſtram refutandam iactantiam habes: & de [p] cauſa cur anno 1552. Siud Patriarcha Romam miſſus: non quaſi pro parum confirmatis haberent quoſcunq Papæ veſtri cõfirmatione deſtitutos: ſed quia per malam prædeceſſoris ambitionem non erat apud ipſos idoneus Metropolitarum numerus, à quibus per manuum impoſitionem conſecraretur: alioquin enim non niſi ſemel antea, idque hac eâdem de cauſa aiunt Romam à ſe miſſum qui à Papa conſecraretur. Nec ſi Papam veſtrum honorificè vt Patriarcham Occidentis appellant, ignari quantum à priſcis illis degeneraueritis, ſtatim eun-

dem

m Vide Gentilet: exam: concilij Trident. libr. 4 in ſeſſ. 21

n Vel forte nouem ante annos.

o Cum Moſe Barcepha de Paradiſo: Antuerpiæ 1569.

p Eam à maioribus ſuis traditam ſibi conſuetudinem obſeruant (inquit Maſius) vt vita functo Patriarcha ſuo (qui plerumq; Mozal hoc eſt Seleuciæ ad Tigrim habitat) alium deſignare quidem ipſos ſibi, ſed deſignatum non niſi adhibitis quatuor aut ad minimum tribus Metropolitanis ſua profeſſionis initiare poſſe putent: vſque adeo vt, ſi Metropolitanorum numerus ille tum expletus inter Neſtorianos non ſit, ab ſolo Romano Pontifice, tanquàm principis Apoſtolorum ſucceſſore, conſecrari illum debere ſtatuant.

dem Christianæ Ecclesiæ caput, aut visibilem Monarcham agnouere? Nam quod iuramentum de obseruandis decretis sedis Apostolicæ susceptum addit Amulius, quàm verum sit, ex ipsa professione huius Siud, quæ apud Andream Masium, ad literas illas quas ex Syriaco transtulit, adijcitur, facilè intelligas: vbi etsi honorificè de Ecclesia Romana & de Papa loquitur: de huiusmodi tamen obseruatione decretorum, ne verbum quidem: sed nec de purgatorio, indulgentijs, imaginibus, inuocatione sanctorum, & huiusmodi articulis controuersis quicquam. Nec Papam agnoscit caput Ecclesiæ vniuersalis: sed tantum Ecclesiam Romanam caput Ecclesiarum. *Confirmatione an veteres* (inquit) *vsi sint ignoro: Monachus enim sum & quis me id docuisset?* Aliter credo de hoc vestro Sacramento locutus fuisset in professione fidei suæ, si subscripsisset concilio Tridentino, quod non paulo post absolutum fuit: aliter etiam, si iurasset in decreta Ecclesiæ Romanæ. Nec obstat quo minùs & inter Assyrios istos, pars Dominici gregis censeatur, quod Nestoriani à quibusdam vocentur: de Nestorij enim hæresi nihil tenent: testis idem Masius: & Onuphrius etiam in vita Iulij tertij. Ne Alexandrinam quidē & alias Ægypti Ecclesias, in quib⁹ non dubium est, quin multi quoque sint qui ad ouile Christi pertinēt, vestro Pontifici accensere poteritis: testis Ribadeneira [f] de vita Laynis Iesuitæ: *in Alexandriam (inquit) delati Patriacham salutant &c nunquam impetrari ab eo potuit vt cum Romana Ecclesia in gratiam rediret, summumq; Pontificem caput Ecclesiæ Christianæ agnosceret.* De Ecclesijs denique Æ-

f *Lib. 2. cap. 10.*

Æthiopiæ, vide Damianũ à Goes, libro de religione & moribus Æthiopum: & inuenies cur in ijs pars gregis Dominici, nec tamẽ quæ ad veſtrãcauſã.

§. 7. Reſtat poſtrema tua reprehenſio, quod Iacobus Rex, & qui apud Epiſcopum nominantur cum eo ſentientes, dicantur *nec minor pars, nec minus illuſtris, quàm eſt pars Pauli quinti.* Atque hic homo ſtrenuꝰ pro parte Pauli quinti (vt primum tricas detergam) Epiſcopum *vt nimis intemperantem in aſſeuerando Palpum* [t] ais *Regi obtrudere.* Sed quæ tandẽ hic *palpatio* vnius, in tam communi laude? aut quidnam hic Regi Iacobo ſingulare tribuitur præ cæteris, ex quibus omnibus partem illuſtrem æquè ac veſtram conſtituit? inepte, non ſolent adulatores ita frigidè laudare: *ſaliunt, tundunt pede terram.* Non plectunt turmales coronas: *grandia per paruos minuuntur flumina riuos*: non ſinunt adulationum ſuarum gratiam diſpeſci in minutias: miſſa faciunt quæ turbâ quaſi conſortium obſtrepuntur: illa potius arripiunt atque aucupantur, non in quibus interſit gloriæ ſocios eſſe quàm plurimos, ſed in quibus locum habeant voces huiuſmodi, *huius gloriæ ſocium habes neminem: totum hoc quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt inquam tuum: nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectꝰ, nihil cohors, nihil turma decerpit.* Sed ne deſit nobis quicquam demonſtrandæ ſtultitiæ tuæ, in hac, quam ſomnias, *adulatione intemperantiam in aſſeuerando* imprimis reprehendis, id eſt in vno contrario alterum contrarium: eſt enim *intemperantia ſermonis*, cum quis affectui intimo non temperat, quin ea quæ ſentit, vbi non eſt opus, ore quaſi præcipiti & in-

[t] *Becanus ſub finem huius loci Nimis (inquit) intemperans es in aſſeuerando & Rex tuus, qui a ſtipes non eſt, facile aduertet Palpum ſibi à te obtrudi.*

infreni effutiat: *adulatio* autem, cum ſine animi affectu quæ non ſentit, ea ad gratiam, ore non infreni, ſed, vt eſt in prouerbijs, corde cuſtodito loquitur. At enim iniquus in Epiſcopum, in Iacobum tamen Regem candidior: *quia ſtipes*, inquis, *non eſt, facile aduertet*: non quidem ita durum aut hebetē vis eſſe, vt ſtipes ſit, aliquid materiæ mollioris eſſe non negas. Supra, quod dici non decuit in Regem, noluiſti dici in Pontificem: non libet ἀντιφαρίζειν Regem ad Pontificem: dic Cardinali, dic Archepiſcopo veſtro Moguntino, *quia ſtipes non es*, negabit credo tibi ſtipem, quem ſic negabis eſſe ſtipitem.

Sed *qua fronte*, inquis, [u] *addit partem illam nec minorem nec minus illuſtrem eſſe, quam qua eſt pars Pauli quinti?* Reſpondeo, fronte non tuâ: qui, quod hoc loco dictum de parte Pauli quinti, arripis quaſi de Rodolpho Imperatore, de regibus Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, de Archiducibus, & principibus electoribus &c. dictum fuiſſet: quæ hæc *frontis* tuæ impudentia, cum Pauli Apoſtoli pars nulla, Petri nulla ſine ſcelere eſſe potuerit, hos omnes tantæ dignitatis viros, in parte Pauli quinti collocare? idque etiam, cum hoc loco ita dicatur pars Pauli quinti, vt olim ab Auguſtino *pars Donati*. Certe vt Paulum quintum, aut quiſquis Romæ ſedet, hi omnes pro capite Eccleſiæ Chriſtianæ habeant, non eſt tamen credo eorum quiſquam ita vetiti diuini ignarus, vt dicat, *ego ſum Pauli quinti*: & quid quæſo intereſt, vniuerſi dicant *nos ſumus pars Pauli quinti*, an ſinguli, *ego ſum Pauli quinti?* Non appellas partem Pauli quinti expreſſè: ſed niſi hoc ſupponas, nihil dicis: vt enim efficias falſum eſſe

[u] *Et iterum & tu (inquit) audes ſcribere hanc partem minus, aut certè non magis illuſtrem eſſe, quàm quæ tuo Regi conſentit in religione.*

esse quod dicit Episcopus, qui cum Rege Iacobo sentiunt, non minus illustrem esse gregis Dominici partem, quàm quæ est pars Pauli quinti, illustres illos nominas, qui si pars Pauli quinti non sunt, quorsum nominantur, vt pars Pauli quinti magis illustris appareat? Qui pars Pauli quinti non sunt, nihil illi ad nos: vtcunque cum eo se nitant, id est, vt supra exposui, in plerisque consentiant: in omnibus enim maioris momenti consentire quis dicat? certè & in aliquibus, cur, ex ijs quos nominas, nonnulli potius dissentire putentur, ex ante dictis colligitur. Siquid igitur hoc toto sonitu vis effectum contra nos, sic oportet integra se habeat argumentatio tua: *Rodolphus Imperator, Reges Hispaniæ, Galliæ &c. sunt pars Pauli quinti: ijdem illustriores, quàm qui cum Iacobo Rege sentire dicuntur: ergo pars Pauli quinti est illustrior, quā qui cum Iacobo Rege sentire dicuntur.* De maiore nihil dubitas, vnde fit, vt de tua impudentia nihil dubitemus: ad minorem enim, odiosam illam in comparatione dignitatum, nihil nobis opus descendere: maiorem pernegam⁹.

§. 8. Et tamen si ad minorem descenderemus, tua prouincia, qui illos his magis illustres, odiosior quam nostra, qui hos illis æquè illustres assereremus. Sed qui modò satis tepidè, nec commotus omnino, supposueris partem Pauli quinti non haberi ab Episcopo pro parte gregis dominici, (quod tamen ille hoc loco neque ait neque negat) cur quęso ita nunc miraris impudentiam, quod quos (te interprete) non omnino collocat in hoc grege, eos neget magis illustres in hoc grege esse, quàm quosdam alios? Certè enim quos omnino quis non

habeat

habeat pro parte gregis dominici, eos sine impudentia (vtcunque plurimi sint & illustrissimi) neget huius gregis partem esse vel maximam, vel illustrissimam. Non enim agimus de illustribus, sed de illustribus in hoc grege dominico. Nec in viris summatibus censores agimus, aut conscientiarum inquisitores: speramus eorum neminē, neque Paulo quinto, neq; cuiquā hominū fidem suam addixisse: tantùm si qui ita se addixère, vt spreto Paulo Apostolo (qui vetat dicere, ego sum Petri) dicant se esse Pauli quinti, se esse successoris Petri, ijs non minus illustres in grege quidem dominico nostros esse dicimus. De eo enim, quod ad gloriam & excellentiam huius mundi illustre dicatur, nihil moramur: habemus monitorem, *videte*, inquit, *vocationem vestram, quod non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles*. Tu contra totus κατ' ἄνθρωπον: *Cum Paulo quinto*, inquis, *sentiunt Rodolphus Imperator, Reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Archiduces Austriæ, principes Electores &c.* Olim augustum mihi illud, *meus Gilead, meus Manasses*: nunc ad tuam tubam hæc auena est. *Non erit auxilio nobis Ætolus & Arpi: at Messapus erit*: quàm exile hoc ad tuum sonitum? quid illud si Rex Iacobus reponeret ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν, βοτὰ χίλια βόσκω? vix hisceret: τοῖος δ' ὅσος ὁρᾷς τῆς σῆς γε μὲν οὐκ ἐπιβαίνω? mutiret tenue & exiguum. παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς: non æquaret tumorem tuum.

Sed vide, quod sic iactas Imperatorem, Reges, Archiduces, Principes cum Paulo quinto, si non vt lapis in altum iactus, redit tibi desuper in caput. Amplitudo enim Ecclesiæ, nomine tenus Christia-

næ,

næ, re Apoſtaticæ, vel nomine Apoſtolicæ, re [x] hypoſtolicæ, ſignum Antichriſti, & maxima quidem ſecurè regnantis : minor, (ſed tamen & ipſa magna) nondum ſatis detecti. [y] Sic enim docetis regnante ſecurè Antichriſto Eccleſiam ecclipſim ferè vniuerſalem paſſuram eſſe: quo certè paulatim decreſcente, amplitudinē quoq; Eccleſiæ apoſtaticæ non niſi paulatim minui oportet. Nec neſcis credo ex Iacobi Regis Monitoria præfatione, quid de regibus poteſtatem ſuam beſtiæ permiſſuris prædictum à ſpiritu mentiri neſcio, Apoc. cap. 17. Decem, inquit, cornua, id eſt, decem Reges qui regnum nondum (puta cum Iohannes iſta ſcriberet) accepere, ne ſcilicet putes loqui de regibus qui ſe Romanis Cæſaribus dedidere, *Hi*, inquit, [z] μίαν ὥραν μετὰ τοῦ θηρίου, *eodem tempore cum beſtia, poteſtatem regiam accipient* : illuſtriora enim orbis Chriſtiani regna, non niſi ruente Ethnico imperio Romano, ſimul cum temporali Papæ maieſtate & Dominio initium habuere. [a] *Hi*, inquit, *mentem vnam habent* (tu gloriaris cum Paulo quinto ſentire) *& potentiam ſuam & auctoritatem beſtiæ dant* : quid planius? ſinunt Papam ſpolijs ſuis ſuperbum, vnicum dici orbis Chriſtiani Monarcham. [b] *Hi cum agno bellum gerunt* : vides iamdiu hoc factum, vt orthodoxæ fidei profeſſores infeſtarint : *Et agnus & vocati electi, fideles vincent eos* : id eſt non *ore gladij*, ſed [c] *gladio oris* Chriſti conuincent ſenſus carnalis pertinaciam : & hoc quoque non parua ex parte impletum vides. Nec enim in perpetuum *beſtiæ daturi erant regnum ſuum* : ſed ἄχρι τελεσθήσονται λόγοι τοῦ θεοῦ *vſque dum diuinæ prædictiones implerentur* : Quid tum

x *Vide ſupra ex Hebr. 10.39*

y *Vide Remenſes, Vegam, Riberam in Apocalypſim Acoſtam de temp. nouiſſimis c. 15.*

z *Intellige* μίαν *pro* τὴν αὐτὴν *noto Hebraïſmo.*

a *Verſ. 13.*

b *Verſ. 14.*

c *Cap. 19. 21.*

d *Cap. 17. v. 17*

tum vero? [e] *Tum demum odio habebunt meretricem:* [f] id est Romam: *& eam desolatam & nudam facient: & carnem eius comedent*, id est fructus quos illa rapere solebat ex horum regnis, ipsi intercipient. Atque hæc quoque vides ex parte impleta. Quod reliquum est eadem illa *cornua* gloriationis vestræ, iusto tempore adimplebunt: ipsamq; adeo meretricem igni comburent: quod etiam de Roma prædictum fatetur Bellarminus. Dum enim alta pax à Papa vestro potentibus illis; dum nihil turbat nisi in nostros, dum quorundam ambitioni & cupiditatibus immensis, vestri religionis prætextus inseruient, non impedient vos fraterculos addictitios, nec iuris consultos qui sunt in terris Ecclesiæ, & quibus in curia spirituali sementis & messis, magistrales vestras de fide conclusiones vsque ad omnipotentiam Papalem indispensationibus, & omniscientiam in decisionibus extendere. Tandem cum in suo sibi pariete ardente, non modo in nostro proximorum, rem suam agi intelligent, nobiscum credò sentient. Vosque qui de his ouibus opilionis vestri gloriamini, eosdem denique expergefactos experiemini leones. Atque hoc vt fiat citiùs, vos Iesuitæ ignari maturatis. Papismum vel inuitis nobis, vestris machinationibus & scandalis conuellitis: potestatem Papæ plenis buccis inflando, ita in tumorem attollitis, vt breui eandem rumpi oporteat: fatum vestrum fugiendo sequimini, nec id obscurè, sed vt nemo non videat.

e *Vers.16.*

f *Bellarminus de Antichr. ca. 13. Iohannes dicit decem Reges quibus regnantibus veniet Antichristus odio habituros purpuratam meretricem, id est Romam: quomodo ergo erit sedes Antichristi, si illo* ipso tempore *debet euerti:* vbi nota Romam non modò Ethnicam sub Cæsaribus, sed etiam ipso tempore Antichristi, nomine meretricis à Bellarmino intelligi: contra quam in Torto pa.54. vide in Tortura Torti pag.187

CAP. XVI.

a Bec. pag. 5. & 33.
b Tortur. p. 81.

[a] *Paradoxum duodecimum* [b] *quasi dicat Regi Angliæ non esse iam liberum mutare religionem, aut Catholicam in suo regno admittere, eo quòd bis iurauerit se id non facturum.*



QVòd dicit Episcopus, *Non iam esse integrum Regi, religionē, liberè habere vt qui* (*quod cum ea qua decet, reuerentia dictum* vult) *bis hoc pacto periurus futurus esset* : apud te ita proponitur, vt ter ineptus, bis sophista, bis iniquus videare. Qui enim tria regna dei hominumque pace possidet, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ : eum Episcopus nunquam ita appellat, quasi solius Angliæ regnum obtineret : nec de eius regno ait, quod de regnis intellectum vult. Nec minus iterum ineptus es, qui cum de iuramento bis suscepto, semel Scotiæ, iterum Angliæ regnum ineunti, verba Episcopi proponis, ita loquaris, ac si bis iurasset Rex de ijsdem regnis, aut bis de eodem aliquo. Sophista quoque non semel: primum cum pro *integro* dicis *liberum* : rem enim religionis in Anglia mutare, vtrum liberum Regi sit quæri potest: vtrum autem integrum sit, postquam hactenus stabiliuit, nulla potest esse quæstio. Antequam incipias integrum est statuere: etsi forte non liberum: postquam inceperis, etsi forte liberum sit, certè non est integrum: vide titulum iuris *de in integrum restitutione*, & dic vtrum idem sit quod de in liberta-

tem

tem restitutione. Sed & iterum sophista, cum *mutare religionem, aut vestram permittere* dicis, pro eo quod in Tortura est, *religionem libere habere* : vbi & turpiori sophismati, quo sequentia nituntur, viam munis : in sequentibus enim de Regia toleratione religionum contrariarum in suis regnis, ne verbum quidem apud te, de qua tamen sola Episcopus loquitur. omnia eo tantum refers, vt euincas non obstante iuramento sæpiùs repetito, licere religionem mutare à falsa in veram : id quod Episcopus negat nusquam : imo nec de hac quæstione quicquam vsquam habet. Nec nihil (credo) dicis inter hæc esse, cum mutandæ religioni à falsa in veram, in iuramento temerè suscepto nihil impedimenti sit : in quo tamen & falsæ & veræ simul tolerandæ impedimenti forte non nihil. Iam & iniquus non semel reperiare. Nam quod officij causa ab Episcopo intersertum fuit, vt non nisi honorificè de Rege loqueretur, & ne, quod in primis obijcis, Regi minari videretur, tu quidem, locum quasi verbatim transcribens, hanc parenthesin omittis. Sed & alia maior iniquitas, & vobis vsitatissima : quòd in persona Episcopi loquens, *Catholicam* religionem dicis pro vestra : quasi verò ita amens esset, vt diceret Iacobum Regem bis iuratum ne Catholicam (id est ne orthodoxam) religionem permitteret. Nec enim eâdem licentiâ, qua nomen Catholicorum vultis vestrum esse, & nostrum stylum poteritis hoc pacto invertere: & verba nostra sub persona nostra ita referre, ac si nostra quoque confessione Catholici, aut non hæretici essetis. Semel audi de hac insulsa vestra consuetudine corrumpendi locutiones nostras

ſtras, vel potius vide [c] in Tortura: vbi notatur Torti tui mos iſte maledicus. Vt cum titulum legis Anglicanæ vult eſſe *aduerſus Catholicos*, & verba *de perquirendis Catholicis*: & vt *puniantur Catholici*: quaſi lex eſſet apud nos vlla in eos, quos ipſi latores legis *Catholicos* agnoſcerēt. Sic cū præcipit lex Anglicana de *benedicto ſacramēto cœnæ dominicæ participādo*, iſte pro hoc quaſi ex legis verbis recitat, ex impuro illo, [d] quem dixi, Staniſlao Criſtanouic, *vt cœnam hæreticorum more ſumant*: quaſi latores ipſi legis Eccleſiam ſuam hæreticam faſſi eſſent. Similiter apud eundem, *vt templa hæreticorum adeant*: & *quo ibi ſacris hæreticorum interſint*: & vt Rex *inuadat duas tertias bonorum*. Similia & tua quaſi Epiſcopus negaret Regi liberum permittere religionem *Catholicam*: quaſi diceret *Catholicos* docere fidem non eſſe ſeruandam: *Catholicos* omnia ſiniſtrâ aure, nihil dextrâ audire. Finge ſimiliter à nobis veſtra recitari. Cum dicis aliam doctrinam eſſe apud vos *Catholicos*: recitetur verbis tuis te dicere aliam eſſe apud vos hæreticos: cum dicis non negare vos quin fides ſeruanda ſit hæreticis in Anglia, aut in republica Geneuenſi: recitetur quaſi diceres ſeruandam Catholicis aut orthodoxis, qui hic aut ibi degunt. Cum [e] Paulus quintus queritur quod Catholici ſui in Anglia cogantur templa hæreticorum adire, recitetur quaſi queratur, quod hæretici ſui in Anglia cogantur templa Catholicorum adire: cum Bellarminus iuramento fidelitatis, primatum ſedis Apoſtolicæ peti: recitator dicat queri eum quod hoc iuramento primatus ſedis [f] *Hypoſtolicæ*, aut *Apoſtaticæ* aut *Antichriſtianæ* petatur. Clames ſtatim periſſe

æquitatem,

c Pag. 118.

d *Cap. 2. §. 5. Nota Bellarminum in Apologia ſua & Eudæmon Ioannē in Parallelo (quem vocat) Torti & Torturæ, auctorem nominare Breuiculum quendā duplicis edicti Anglicani, Rothomagi editū: ſed hic Breuiculus, teſte eodem Eudæmon Ioanne, prodijt circa idem tempus atque Apologia Regia: Impurus autem ille liber Criſtanouici in quo habentur omnia penè verbatim, quæ in Torto quaſi ex edicto Anglicano recitantur, iam ante prodierat.*

e *Breui priore.*

f ἐξ ὑποστολῆς *Heb. 10. Vide ſupra ad Paradoxum quintū.*

æquitatem, perisse frontem de rebus. *Fabula mutato narratur nomine de te.*

§. 2. *Minatur*, inquis, *Regi:* imo qui honorem præfatus, modestè dicit peccaturum si faceret, quod ne videtur quidem facturus vnquam, defendit, non minatur. Nec minatur quisquis malum quocunque modo euenturum prædicit, sed qui intentat malum: & vel penes se, aut suos habet quod infligatur, vel habiturus saltem videri vult. Nec minatur qui terrorem incutit peccati, sed qui terrorem pœnæ, aut huiusmodi malorum à quibus improbi abhorrent. *Minatur*, inquis Regi: *fore vt ipse eum pro periuro habeat:* quid vero? quem vis [g] *palpum Regi obtrudere*, quem id [h] velle *vt adulando Regi placeat*, quem [i] *in alios contumeliosum existere, dum Regi suo assentatur:* qui (si tibi credimus) [k] *Regi placere & blandiri satagit*: qui, (si nuda aduersarij calumnia fide digna est) [l] *quia semel sibi proposuit Regi adulari, quicquid ei placere nouit, omnino tueri & approbare vult:* cui deniq; (si aduersario & maleuolo sine argumento loquenti statim credi necesse est) [m] *hæc omnia ex studio adulandi orta sunt:* hic iam oblit⁹ studiorum atque immemor artis, *minatur Regi?* Minatur Regi Bellarminus in Torto. [n] *Si Rex*, inquit, *securè regnare vult, & vitæ suæ atque suorum consulere cupit, sinat Catholicos frui antiqua possessione religionis suæ:* Minatur iterum in eodem Torto, cum ait [o] Paulum quintum non iudicasse *hoc tempore* expedire, vt Rex nominatim excommunicaretur. Minatus de cædibus & sanguine, sub obitum beatæ Elisabetæ, furibundus Westonus Duacensis, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος: minatus itidem sub idem tempus

g Pag. 32.
h Pag. 29.
i Pag. 15.
k Pag. 21.
l Pag. 40.
m Pag. 62.
n Pag. 22.
o Pag. 29.
p *Libro de tripl ici officio.*

pus Veterator [q] Personius: sed has omnes minas & nubes tempestatum prænuntias, in sereno Regis Iacobi dissipauit Deus. Minatus etiam, sed in irritum, dirus Campianus: *velim,* [r] inquit, *sciatis omnes nos* (Iesuitas dicit) *qui per totum orbem longè lateque diffusi sumus, quorum est continua successio, & magnus numerus, sanctum fœdus iniisse: nec quam diu vel vnus nostrûm supererit, studia & consilia nostra* (sic vocat coniurationes proditorias) *de salute vestra* (sic vocat primatum Papæ) *intermissuros: Inita est,* inquit, *ratio: inchoatum certamen: nulla vis, nullus Anglorum impetus superabit.* Minatus [s] Iohannes Paulus Windeck, *sciant,* inquit, *sciant hæretici, vt illis oculi doleant, non deesse nobis modos* (sicas puta, proditiones, venena, puluerem tormentarium in cuniculis disponendum) *sectas extirpandi.* Minatus denique pater vestrarum minarum & consiliorum, [t] Hildebrandus Philippo Gallorum Regi, quicquid statim in Imperatore Henrico quarto egit strenuè: atque hæ quidem veræ minæ procellarum præsagia: vt *cum freta ponti incipiunt agitata tumescere, & aridus altis montibus audiri fragor: aut resonantia longè littora misceri & pelago increbrescere murmur.* Nostræ autem minæ quænam illæ? *Si faciat reus sit peccati: reus (quod ea dictum volo qua decet reuerentia) periurij: bis periurij.* Quàm hic alius à vestro spiritus? vt arma nostra preces & lacrymæ, ita armis minæ non dissimiles.

q *In his Ward-word.*

r *Concertatione Eccles. Cath. pa. 22.*

s *In præf. prognostici Ecclesiastici.*

t *Lib. 2. epi. 5. & 18. Videetiam hunc in finem in oratione Duperonij & Dossati, Legatorum Henrici quarti Regis Francorum, ad Pontificem Romanum pro absolutione: vbi Rex profitetur* se nullo temporis momento, extra vitæ periculum constitutum fuisse: cum propter assiduos belli insultus, tum propter frequentissimas sicariorum insidias: seq; hisce terriculamentis adactum, vt coram Prælatis & doctoribus Theologiæ, in fide Romana se instrui pateretur: omnesq; submissiones in tali casu requisitas facere vellet. *Apolog pro Christiano Batauo pag. 219*

§. 3. *Minatur,*

§. 3. *Minatur*, inquis, *Regi, si suam religionem deserat, & aliam amplectatur:* merum mendacium: non dicit fore periurum, si ipse mutet in religione, sed si in regnis suis religionem libere haberi sinat: nec vrget duplex iuramentum Episcopus eum in finem, quem & paulo post repetis: sed tu quidem vrges idem iterum mendacium, quod & tertiò, homo amens regeris, sub finem huius loci. Sciamachia igitur quod addis, cum quæris, *Vtrum putet nemini integrum mutare religionem, si iurauerit se non mutaturum:* aërem cædis: non agitur de mutanda vna in Rege, sed de toleranda vtraque in regnis: per lineas triginta hoc pacto pugnas egregie sine aduersario: de toleratione duarum religionum nihil, de mutatione omnia. Nec de ea sanè mutatione quæ publica esset in regnis, quæ ad iuramentum Regis pertinet: sed de ea quæ priuatim esset in conscientia Regis. Quæ nec ad iuramentum quod regna iniens suscepit, nec ad loci huius propositum spectat quicquam. Potest enim saluo iuramento ipse religionem mutare, modò ne mutationem publicè inducat. Quod etiam credo de Principibus illis Christianis dici potest, quos tu mox ais iuramento obligari, ne deserta fide, quam sub Pontifice (vt ais) profitentur, Anglicanã amplectantur. Sed hoc quicquid est siue vere dictum, siue (vt videtur) mendacium: de Iacobo certe figmentum tuum. Ita tibi infelici vbique læsus animus, etiam aduersario tuo miserabilis: nec iam tuum illud *vbique impingis*, quod habes in calce huius loci, in te retorquemus: Vbique enim cadis, vel potius *pauper vbique iaces.* Nec tuum illud, quod etiam habes hoc loco, *collige*

te melius, & tunc loquere, de te vſurpamus : ſed *collige te melius, & tunc tace* : hæc enim tua & ſtultorum omnium ſapientia. Vix vllum diſputatoris vitium excogitari poteſt, cuius non hoc loco in te ipſo exemplum ſtatuiſti : aduerſarij ſententiam mala fide recitando corrupiſti : iniquè recitando deprauaſti : inepte recitando vitiaſti : malignè interpretando torſiſti. Scopum quæſtionis à toleratione duarum religionum in ſubditis, ad mutationem vnius in Rege tranſtuliſti : rem controuerſam, vtrum Regi bis contra iurato liceat in ſuis regnis papiſmum tolerare, poſtquam ſemel initio propoſueras, deinceps non attingis : rem autem de qua hoc loco nulla quæſtio mota, vtrum liceat Regi priuatim papiſmo ſubſcribere, non obſtante quod forte contra bis iuratus ſit, hanc ſolam nobis probare niteris.

§. 4. At quomodo hanc rem cuiquam te probaturum ſperas? *Si falſa*, inquis, *ſit religio quam iurauit ſe ſeruaturum, poterit eam mutare non obſtante iuramento: at falſa eſt, quàm iurauit Iacobus ſe ſeruaturum : ergo poterit eam mutare non obſtante iuramento.* Tota lis de minore : cuius nos inprimis illud de falſitate religionis ſciebas negaturos : ſed quia longa probatio, ideo & hoc quoq; ſumis precariò. Maiorem manifeſtè veram & probationis nihil indigã, audaci, & periculoſo dogmate pro confirmatione conſpurcas. Nec enim temere dicis, *pactum, ſi iniquum ſit, poteſt quis reſcindere, non obſtante iuramento* : nec enim ſolum ſi impium ſit, id eſt ſi ad impietatem obliget, ſed etiam ſi aliàs *iniquum ſit*, reſcindi poſſe vis, niſi valdè fallor : cur non enim aliàs ſine ambiguitate loquerere? certè omnia pacta,

quæ

quæ duris & iniquis conditionibus ineuntur, *iniqua* rectè dicuntur: quid ergo? hæc omnia vis esse irrita, vel si iuramento sæpius repetito sancita fuerint? Cur ergo nos, penultimo Paradoxo, remittis ad disputationem tuam, *de fide hæreticis seruanda*? vel ex hoc ipso triobolari libellulo tuo habemus quid sentias. Sed & plura cur sic te interpreter ad penultimum paradoxum audies. Interim si pacta iniqua non valent, cur laudatur qui iuratus in damnũ non tamen mutat? Quid pactum Iosuæ cum Gibeonitis? ex Num. 33. & alijs multis locis non modò iniquum, sed & illicitum, & expresso verbo dei prohibitum per fraudem etiam & imposturam constat impetratũ: tamen, post quam re cognita semel admissum est, violari non debuit: violati per Saulem pœnas fame publica populus dedit. Iuramentum Saulis, cum Philistæos persequeretur, de cibo non sumendo ad vesperam, iniquum (credo) ex verbis Ionathanis apparet: sed cum exercitum piaculi reum fecit, non credo ab initio irritum. Pactum & iuramentum Israëlitarum de non tradendis filiabus suis nuptui, tribui Beniaminis, iniquum apparet ex resipiscentia: nec tamen irritũ ab initio: vt ex historia facile intelligas. Et quid iam opus apud vos dispensationibus ad soluendas nexu conscientias, si iuramentum sua sponte irritum? ad iniqua enim potius, quàm ad iusta vincula soluenda, dispensationes vestras ad hiberi dixeris.

§. 5. Rex Iacobus, inquis *in monitoria sua præfatione, hortatur Reges ac principes Catholicos vt deserta fide, &c. Constat autem plerosque illorum in susceptione Regni iuramentum præstitisse nunquam se id facturos,*

ctturos,iuramentũ(credo)integrũ in ſuſceptione iuramenti *præſtiterunt:* ſed hinc inſtructus argumento,quæris ab Epiſcopo : *ſi illos Rex legitimè & prudẽter hortat⁹ ſit,vt hoc faceret, cur accuſet Catholicos, qui in meliore cauſa ſimile quid faciãt*. Eâdẽ hîc,atq; antea,vt vides, peccas inepta petitione principij: dum ſumis veſtrã cauſã noſtra meliorẽ,ex prædicto quoq; ſomnio totũ quod addis, Epiſcopũ accuſare Catholicos,quod velint Regẽ Iacobũ,non obſtante iuramento,Proteſtantiũ religionem deſerere,& veſtram amplecti. Non enim de hoc reprehendit Catholicos veſtros,ſed de eo quòd religionem veſtram (quam habet pro falſa & idololatrica) ab eo iam tolerari poſtuletis : qui etiam bis contra iuratus ſit. Ita tolerandæ quidem religioni falſæ,& omnino permittendis duabus contrarijs, impedimentum putat eſſe nonnullum in iuramento contra ſuſcepto : mutandæ autem falſæ in meliorem in iuramento contra ſuſcepto impedimentum nullum vſquam cogitauit. Tu tamen vnum iſtud homo inſanus atque vnicum inſequeris. Id enim voluit non quidem ſemper, niſi iuramentum impediat,falſam religionem tolerari poſſe publicè: ſed fieri tamen poſſe, vt res ita ſe habeant, vt niſi huiuſmodi impedimentum aliquod interuenerit, hæretici tolerari poſint : Nec hoc ita dicit quaſi Iacobo Regnũ vel olim in Scotia,vel nuper in Anglia ineunte, res ita ſe habuerint. vt niſi iuramentũ contra ſuſcepiſſet,religionem, etiam quam falſam putaſſet,tolerare potuiſſet : id modò innuit, minùs nunc integrum quàm ante : & ſi ante dubitari potuiſſet,vtrum aut ſimpliciter,aut rebus ſic ſtantibus diuer-

diuersas religiones tolerare potuisset, nunc tamen post bis susceptum iuramentum, sublatam dubitationem omnem. Planè hîc hærebat tibi aqua, vt necesse habueris scopum transferre. Iuramentum de non tolerandis religionibus diuersis iniquum diceres? at [u] alibi habes multa in contrarium: vbi cum tuis Iesuitis ad Germaniæ pacem perturbandam pactiones huiusmodi tolerationum, illicitas & diuino verbo repugnantes asseris: æquum ergo & iustum diceres? at hoc contra vestros Catholicos: si enim rectè iuratur de non tolerandis duabus hisce dissonis religionibus: quid ni iuramentũ præstet ad extremum, sicque, cum statuat veritatem à nobis stare, religionem vestram eliminet? Quid ergo faceres nisi vt ex hoc molesto difficilique loco, quam primum te redimeres, & quęstionem aliam faceres: vnde etiam Regem, vt tibi quidem homini lepido videtur, cum Episcopo committeres: atque etiam calcitratione in Regem, hunc locum, quemadmodũ ceteros plerosque clauderes.

[u] *De fide hæreticis seruanda vide infra ad Paradoxum.* 14.

Si Rex, inquis, *fecit illegitimè ac imprudenter* (nullum hîc honorem Regi potentissimo præfatur Iesuita) sed si ita fecit vt clare supponis, quæris ab Episcopo, *cur eum cui à sacellis sit, & forte à calamo, non monuerit:* imprudentiam quam hic obijcis, itidem in Epistola dedicatoria libri contra Regem nostrum regeris: *de prudẽtia,* inquis, *qua id facit* (vt imperatorem & varios principes Christianos à papismo auocet) *non disputo:* ambis forte à secretioribus consilijs vel saltem à confessionibus esse summatibus illis, quos appellas: hinc erat quod aliorum prudentiæ deroges, & in primis prudentissimorum,

morum, vt tuæ plus arroges: Nec verò à calamo cum dicis, Amanuensem intelligis: sed vt exponis, *monitorem*, qui suggerat, aut etiam scribat, quod Regi imputetur. Ita tum ad prudentiam in rebus practicis, tum ad doctrinam in Theologicis, Regi Iacobo tantum non ais caput esse sine cerebro. Vtramq; calumniam à fœdo homine in tam egregium orbis Christiani Lumen, petulanter (vt tuis verbis vtar) despumatã, Bellarminus[x] in Torto refutat: *præsertim*, inquit, *cum agendum esset cum Rege maioris prudentiæ, atque doctrinæ.* Nec tibi plura hic reponimus, nisi argumenta tua anseribus non quidem *à calamo* sed à pluma esse: atque adeo ipsis plumis leuiora: teipsum autem, qui sic putes anserino more hiscendo detrahi posse gloriæ Regiæ, hominem non quidem *à calamo*, sed ab ipsis anseribus, egere refutatore qui verberibus agat non verbis: nisi forte minis illis non inanibus, quibus auxiliante baculo, compressus quidam, vnde genus ducis: audi non inanes minas.

x Pag. 29.

εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω,
χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει:
αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω,
πεπληγὼς ἀγορῆθεν.

Hactenus prosyllogismus non futilis: addit & auxiliare argumentum, à baculo ad scapulas, ὣς ἄρ' ἔφη σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον ἠδὲ καὶ ὤμω πλῆξεν: ὁ δ' ἰδνώθη: vide cętera: deinde opus non habebis vt teipsum in speculo intuearare.

CAP.

Cap. XVII.

Paradoxum decimum tertium[a] quod dicat, Bellarminum esse votifragum, eo quod ex Iesuita factus sit Cardinalis. a Bec.5.& 35 Tortura pa.56



DE votifragio itidem primis verbis facis naufragium: *Ait*, inquis, *Bellarminum esse votifragum*: imo vero tantum votum ab eo fractum testis verborum apud te recitatio: tuque qui iuramenti[b] violationem aliquam sine perfidia intelligis, non statim votifragum dici intellexisses (quæ vox & crimen, & habitum complectitur) quia votum fregisse dicitur, fregisse enim certum est, vtrum autem rectè fregerit, Papali auctoritate fretus, an potiùs malè, vt ideo votifragus dicendus sit, de eo quidem nihil apud Episcopum, ideoque hîc quoque, vt supra, aërem egregiè cædis. *Æquè* inquis, *intelligit, quid sit votifragum esse, ac quid sit periurum esse*. At quid sit periurum esse, vt docui rectè intelligit: ergo etiam rectè quid sit votifragum esse. *Et sicut* (inquis) *paulò ante volebat Regem suum pronuntiare periurum, si religionem Catholicam in suo Regno admitteret, &c.* Sic iuuat, postquam iam ex hac quæstione elapsus es, verum statũ agnoscis: atq; cum de hac re agendi locus erat, nihil de *admissione in suis*, de mutatione in seipso, omnia. *Ita*, inquis, *nunc pronuntiat Bellarminum votifragum, quia dignitatẽ Cardinalitiam inuitus admisit*. Egregia similitudo: nec quadrupes illa, nec tribus incedens, ne biceps b Pag.34.lin.1

biceps quidem : vix stat pede in vno. perinde vis esse Regi in regno papismum admittere, & Bellarmino Iesuitæ Cardinalitiam dignitatem in se admittere : addis Bellarminum inuitum hanc admisisse : etiam non rectè vis facturum fuisse, si volens admisisset: concludo: Ergo non rectè fecerit Rex si volens papismũ in suo Regno admiserit. Sed vbi quęso *pronuntiat Bellarminum votifragum, quia Cardinalitiam dignitatem inuitus admisit*? absit vt tam audax, tam impudens fuerit: nusquam dicit: nunquam sensit, ideo votifragum quia *inuitus* admisit cardinalatum: imo neque *inuitum* admisisse vsquam dicit : restiterunt, (si fides vestro [c] Ribadeneiræ & constantissimè restiterunt, ne Cardinales fierent, duo Iesuitæ, Laynez, & Borgias: egerunt forte ne id esset, quod alioquin futurum non erat, vt auctor congregationis oratorij Philippus Nerius, Baronio [d] dixit se à deo impetrasse ne miracula ederet. Sed quicquid erat, quia apud vos de vtroque creditur restitisse vtrumque, & ita amisisse : satis erat quod vel Toletum terreret, vel Bellarminum, ne omnino resisterent: quæ enim hæc iam prostitutio beneficiorum Papaliũ, vt obtruderentur *inuitis*? aut quis demum coëgit Bellarminum, vt ne ad extremum resisteret? aut quæ hæc tanta cupiditatum incontinentia, vt quam rem iudicio saniore refugeret, eam in se affectuum impotentiâ admitteret. Posthæc epiphonema tepidum sequitur *certe*, inquis, *ad conuitiandum valdè propensus est*: non ita pridem à conuitijs hoc dictum ad Paradoxa transtuleras : nunc postliminio à Paradoxis ad conuitia reducis.

c *De scriptoribus Iesuiticis* fol. 60. & 100.

d *Vita Nerij* fol. 408.

§. 2. Sed qui ita querulus es de alieno conuitio, quo-

quomodo eodem ſpiritu tam immaniter Luthero conuitiaris, non de votifragio ſolum, ſed etiam de ſacrilegio, de adulterio, de Apoſtaſia, de periurio? quam multa infœlix hîc mihi ſuppeditas tuis verbis regerenda, ex capite de conuitijs? [e] *Non eſt quod te excuſes exemplo, quaſi* hic noſter *prior* Bellarminum votifragum. *Primum non ita eſt, deinde feciſſet ſanè: an tu talionem &c. Aliter Apoſtolus &c. denique ſi reddere volebas &c. poſthæc talibus abſtine & audi illud Prouerb.* 21. *&c. & Matt.* 12. *Vide quis tuus Theſaurus & caue: quia maledici non poſſidebunt &c.* Vides vt haſtas amentatas nobis tradideris, quas in te torqueamus. Ad quæſtionem, cur non obſtante voto Lutherus ex Monacho factus ſit maritus: Reſpondeo quia votum ſtultè vouentis continentiam, Deus irritum facit per vocationem contrariam, quaſi obligationem recuſans. [f] Error non habet conſenſum: itaque cum quis per errorẽ, culpa temporis potius quam ſua, putans ſe habere domum continentiæ, aut habere poſſe, quod nec habet, nec habere poteſt, votum nuncupat: quod per talem errorem facit, quaſi inuitus facit: votum autem non eſt (vt ſcis ex [g] Aquinate) quod non eſt voluntarium. Audi eundem, de votis violabilibus.* *Qui vouet ſibi quodam modo ſtatuit legem, obligans ſe ad aliquid, quod eſt vt in pluribus bonum: poteſt tamen contingere, quod in caſu aliquo ſit, vel ſimpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impedimentum: quod eſt contra rationem eius quod ſub voto cadit: & ideo neceſſe eſt in tali caſu votum non eſſe ſeruandum.* Si nondum ſatis pro Luthero, adde quod in doctrinis memorabilibus notat Index veſter in ſummã eiuſdẽ

Aquinatis

e Pag. 3.

f *Vlpianus ex Iuliano.*

g *Sum.* 2,2. q 88. *art* 2.

* 2,2 q.88. *art.*10.

Aquinatis ex eodem, *votum vergens in periculum personæ, si dispensatio non possit haberi, debet frangi securè*. Nec negare potest [h] Toletus vester, quin alicui qui cœlibatum vouerit, magis expediat, votum coniugij, *quia nimis est incontinens*: vnde ex regula [i] Maldonati, *vt votum minoris boni relaxetur per votũ maioris boni*, habes idoneam de Lutheri coniugio Apologiam: nam quod etiam sacerdos coniugatus fuerit, scis ex [k] Gratiano cœlibatum sacerdotis iuris tantum Ecclesiastici esse, quod tu *humanum* vocas, nec tamen, vt loquitur [l] Espencæus, Ecclesiæ vniuersalis, sed Latinæ: adulterium autem (vt scis) non potest esse, nisi quod sit violatio legis diuinæ: ne fornicationis quidem tenetur quisquam, nisi ex lege diuina: de sacrilegio quod in voti (vt opinor) violatione ponis, satis iam dictum: periurij ipse modo excusasti, cum, non obstante iuramento, mutari posse religionem voluisti, si falsa sit: nam si religionem quam deseruit falsam negabis: tibi certè qui accusas, incumbit probatio.

h *Instruct. sacerd. li. 4. cap. 17*

i *Summula de casibus conscientiæ q. 12. art. 5.*

k *Causa 26. dict. 2. Canon. Sors.*

l *De contin. lib. 1. cap. 13. adde ex sententia Scoti, Paludani, Caietani, & totius scholæ Iure consultorum Nuptias post votum solenne solo iure Ecclesiastico irritas esse, quam etiam sententiam Bellarm. de Monachis lib. 2. cap. 24. fatetur probabilem esse.*

§. 3. Absoluto Luthero, tandem vacet quærere quid tibi hoc loco huius viri mentio? An vt purges Bellarminum, purgabis etiam Lutherum? an etiam de Bellarmino confitebere, vt ne Lutherus euadat impune? dic aliquid clarè ad propositum: num ita vis ἀναλύεσθαι argumentum tuum, vt dicas, *Non reprehendi à nobis Lutherum, ideoque nec Bellarminum debere reprehendi?* an ita potius, *reprehendi à nobis Bellarminum, ideoque & Lutherum debere reprehendi?* Ad vtramque argumentationem vna responsio: non sequi, nec quia Bellarminum reprehendimus, ideo reprehendendũ Lutherũ, nec quia

Lutherum excusamus, ideo excusandum Bellarminum: Nec enim eodem animo dices discessisse illum ad suum matrimonium, & hunc ad Petri, vt sperat, patrimonium. Ille iugum excussit, quia putauit impium, & saluti animæ suæ contrarium, votis illis diutius implicari: hic, vt tuis verbis vtar, quia pependit ex arbitrio Papæ. Nec nostrum hoc loco probare aut hunc malè pependisse, aut illum rectè sensisse: tibi refutatori (vt dixi) incubuerat probatio, etiam de Luthero: quem post contestatam litem dimittis quasi desertor vadimonij. Sed neque pro Bellarmino probatio apud te vlla: incondita modò quædam, & assertiones nudæ.

Vt rem, inquis, *intelligas*: magistrale procœmium. Nos enim, nisi à vobis transmarinis, quid intelligimus? κορίνθιοι ἡμεῖς ἐσμὲν: *Inde* [m] *vbi primæuo veteres mortalia seclo corpora dixerunt, pluuialibus edita fungis*: pro talibus nisi nos insulanos haberes, nunquam ita quasi inter cæcos, ipse plusquam luscus, gloriosè nugareris. *Aliud*, inquis, *est absolute & simpliciter aliquid vouere, seu Deo promittere: aliud verò cum certa limitatione. Qui priori modo* (id est simpliciter) *vouet, tenetur præstare quod promittit: qui posteriori, potest solui obligatione, quando limitatio patitur: exempla habemus in veteri testamento: nam filiæ & vxores vouebant cum hac limitatione, si parentes & mariti consentirent Num.* 30. *Nazaræi cum hac vt certo duntaxat tempore, & non omni vita, vellent se obstringere Num.* 6. *Simili modo sit in nostra societate: qui simplici voto se obstringit, non aliter censetur obstrictus, quàm ad arbitrium superiorum: vnde si superiores ex iusta causa dimittant illum à societate, cessat obligatio: qui*

m Ouid. Metamorph. de Corinthijs.

autem solenni voto se obstringit, pendet ex arbitrio Papæ, qui illum potest eripere societati, & in alio statu collocare. Hactenus verba tua, vt rem intelligamus. Sed quam rem? tenebras & deliria cogitationum tuarum, halucinationes ac titubationes Bœotici ingenij tui.

§. 4. Quasi discipulum tuum, quem *oportet credere*, ita aduersarium alloqueris: quasi ad refutationem satis esset testimonium & auctoritas tua. Hoc primum, & vniuersim: videamus iam sigillatim. *Vouere*, inquis *seu Deo promittere:* Quasi verò apud vos ([n] qui contra patrum & Lombardi dialectum, quod Deo promittitur in baptismo, negatis votum esse) idem sit *vouere*, & *Deo promittere*: qui loqueris *vt rem intelligamus*, cur ita loqueris, vt quemuis qui aliquid intelligat, si tibi fidem habeat, in eam opinionem inducas, quam erroris ipse (scio) condemnabis? *Qui simpliciter* (inquis) *vouet, tenetur præstare:* hoc cum dicis ad distinctionem, & in antithesi alterius clausulæ, certè ita intelligendum vt alteri clausulæ non conueniat. Quid ergo? qui vouet cum limitatione, non tenetur præstare quod promittit? Id credo volueras, qui simpliciter vouet, simpliciter & semper teneri: nec posse, in eo quod simpliciter quis vouerit, dispensari. Sic enim ex opposito membro colligimus: vbi ais *eum, qui cum certa limitatione vouet, posse solui obligatione, quando limitatio patitur.* Et cur quæso verbis ita à tua mente alienis, ita aliud sonantibus, halucinator homo, vtererè: non vt rem intelligeremus vllam, quæ ad rem & ad propositum esset: sed vt ne intelligeremus? Iam etiam qui his verbis negas posse

[n] *Azorius lib. 11. c. 14. baptisma esse votum propriè dictum, veteres Theologi, cum magistro videntur sentire. sed probabilius est, quod scholastici alij tenent.*

posse solui eum, qui simpliciter vouerit, cur statim dicis, *qui simplici voto se obstringit, arbitrio superiorum solui eum posse?* Quis enim hîc, præsertim cum tu nihil contra moneas, votum simplex non intelligat idem esse, quod modò dixisti simpliciter (id est sine limitatione) voueri? vt enim mendacium simplex iureconsulti dicunt, quod sine contemplatione proprij lucri quis dixerit: ita quod sine contemplatione limitationis, aut conditionis vouetur (quod hoc loco dicis simpliciter voueri) quidni etiam intelligatur idem esse, cum eo quod statim vocas *votum simplex?* Non ita vis, satis scio: sed vides interim qualem iam nobis *tertiò* dederis operã, *vt rem intelligamus*. Facies næ intelligendo, vt discipuli tui statim nihil intelligant. Sed num illud etiam putas impunè auferri à te posse, quod tantum non apertè negas solui posse, qui quid absolutè & simpliciter vouerit? vbi ergo plenitudo potestatis Apostolicæ? vbi omnipotentia Pauli quinti, de qua supra dixi? quid vero si vouerit quod sine impietate præstari non potest? vbi iam illa quam dixi Aquinatis regula, *de voto vergente in periculum personæ?* vbi altera eiusdem, quæ non modò votum maioris boni *impeditiuum*, sed etiam votum *inutile*, negat seruandum? vbi illud °Bernardi? *Non arbitror*, inquit, *Deum à nobis exigere quodcunque sibi promissum bonum, si pro eo aliquid melius à nobis fuerit persolutum*. Vbi denique Maldonati illa quam dixi regula, quam ex iure naturali & diuino petitam dicit, *vt votum minoris boni* (quod certè non modò cum limitatione, sed etiam absolutè voueri potest) *relaxetur per votum maioris boni?* Vides hîc quale

° *Epist.* 57.

iam *quarto* nobis à te adminiculum *vt rem intelligamus.*

Qui posteriori, inquis, *modo vouet, potest solui obligatione quando limitatio patitur:* imò verò non iam potest solui, sed plane solutus est: dic de Anna matre Samuelis, *si non peperisset filium, poterat solui voto quod Silunte nuncuparat,* quis non videat sermonis ineptiam? dic de Iacobo, *si saluus ex Mesopotamia non redijsset, poterat solui voto, quod de columna Bethelis in domum Dei statuenda vouerat:* quasi verò hoc casu ad Melchizedekum mittendus fuisset, qui dispensationem peteret, aut redimeret. Vide verò iam homo incogitans, qui neque ὀπίσσω vides, neque πρόσσω, quantulum dispensationibus Papalibus (fundo olim vberrimo) reliqueris: in votis absolutis nihil relaxat: in votis cum limitatione conceptis, potest relaxare cum limitatio patitur. Atqui huiusmodi vota, cum limitatio patitur, sua sponte sine ope papali relaxantur. Exiguam verò habebit tibi gratiam, qui potestatem suam tam facis vacuam, & superuacuam, vt vel nihil agat, vel actum agat. Hoc credo illud est, quod statim dicis, Papam quosdam societati vestrę *eripere:* id est, eos qui limitatione tandem patiente, relaxati sunt, relaxare. Quod enim dicis, *potest solui quando limitatio patitur,* cum ad differentiam & oppositionem dicis, quid sonat aliud, quàm non posse, quando non patitur?

Filiæ, inquis, *& vxores vouebant cum hac limitatione, si parentes, & mariti consentirent:* ad fallendum hoc quoq; nec vt rem intelligamus, sed vt vlterius erremus; quis enim hoc loco, vbi de reuocatione

&

& relaxatione votorũ disputas, hoc non ita intelligeret, ac si votum filiæ pater, aut vxoris maritus, semel approbatum, ad libitum reuocare posset? *Nazaræi*, inquis, *cum hac limitatione vouebant, vt certo duntaxat tempore, non omni vita vellent se obstringere.* Nec minus hoc, quàm cætera ad fallendum. p Indefinita enim etsi non omnia, tamen quæ hoc modo de re minus nota inter docendum proponuntur, nisi vniuersè vera sint, fallacia & inepta censentur: cumque in priore exemplo quod indefinitè dixeras vniuersè teneat, de vxoribus omnibus, etiam de filiabus omnibus, nisi quæ iam emancipatæ, & quasi non filiæ erant: quid ni etiam de posteriore exemplo similiter intelligeremus? quid ergo? omnes Nazaræi ita vouebant? vide Iud. 13.7. *erit Nazaræus ab ortu vsque ad diem mortis suæ.*

p *In dubio, inquit, Bartolus indefinita propositio æquipollet vniuersali.*

Simili modo, inquis, *fit in nostra societate.* Quid? in vestris religiosorum (vt dicitis) votis solennibus nuncupandis limitatio temporis, vt in Nazaræorum votis? imo vero exclusa penitus: *tres hæ* (puta paupertas, cõtinentia, obedientia) *non sufficiunt*,* inquit Bellarminus, *nisi his tribus votum accedat, id est sacra promissio deo facta, qua quis obstringit se ita perpetuò esse victurum: religio enim est status, & rem significat immobilem.* An ergo simili modo quo filiæ & vxores apud Iudæos, non nisi patrum aut maritorum tacita aut expressa approbatione vouere poterant quod ratum esset? Audi q Bellarminum: *licebit*, inquit, *filijs inuitis parentibus, ad religionem* (puta Monasticam) *transire, postquam ad annos pubertatis, id est ætatis suæ quarto decimo peruenerint: nisi parentes*

* *De Mon. c.2.*
q *de Mon. c.36. vide etiam cap. 38. de desponsatis & concil. Trid sess. 24. can. 6. de matrimonio rato non consummato quod per professionem Monasticam solui volunt vel inuito coniuge.*

tes in tali necessitate sint, vt non possint sine auxilio filiorum vinere. Audi *Stellam : *multæ* inquit *coniugatæ omittentes curam domus suæ, obsequiū quod viris suis debent, quæ est cura ipsorum, abijciunt : & suscipiunt Monialium crucem.* Nec ad rem certe præsentem quicquam, si apud vos non sine parentum aut coniugum assensu vota nuncupantur : non enim quæritur hoc loco quomodo ingrediamini, sed quomodo egrediamini ex statu Monastico. Nec similitudo sané vlla inter ritum Iudæorum (quibus semel in initio suffecit assensus superioris naturalis, vt ratum esset filiæ votum) & ritum vestrum, quibus votum semel approbatum à superioribus vestris, quandocunq; iisdem aliter videbitur, irritū fieri potest. Hic sine assensu superiorū naturaliū vouentes obligantur : illic non nisi cum eorundē assensu. Hic post votū semel ratū, voluntas superiorū sufficit ad relaxationem, illic post votum semel ratum, voluntas superiorum ad relaxationem nihil adiuuabat: hic [r] vel inuiti relaxantur, & in alio statu vel inuiti collocantur : illic inuitis nihil vt nec initio imponebatur, ita nec deinceps accedebat. Ludis ergo in ambiguo siquid pro Bellarmino ex Iudæorum exemplis inferri vis : cum in ritu Iudaico illud, *si consentirent*, idem sit, quod *si semel in initio ratum haberent* : in vestro autem ritu, idem quod *quam diu consentirent*. Sed & iterum ludis, cum in ritu Iudaico *superiores*, naturales intelligantur, in vestro *noui & ascititij*.

* *In Luc. 9. 23.*

[r] *Becan. pa. 36 quia inuitus admisit Cardinalitiam dignitatem.*

§. 5. Ita adhuc quidē nihil habemus quo minus Bellarminus votifragus sit : hoc tantum cum multa hominis

hominis ebrij offenſione laboraſti, vt quod nemo negat, nemo neſcit, pro fundamento poneres: *Non omnia vota abſolute voueri: ſed quædam cum certa limitatione: quæ non amplius obligent quàm dum limitatio remanet:* ſeu vt planiùs dicam, *cum votum ſub conditione nuncupatum ſit, ſublata conditione, voti quoque obligationem tolli.* Ad hanc propoſitionem, vt pro Bellarmino aliquid faceret, duas opportuerat alias aſſumi: vna eſt, *votum Bellarmini ſub conditione nuncupatum fuiſſe:* altera, *hanc conditionem ſublatam, cum oſtrum induit.* Priorem prorſus ſupprimis: & hîc quoque tui ſimilis, id eſt conſtans in nugationibus ſophiſticis. Pro poſteriore tantum in theſi magiſtraliter ſine applicatione diſtinguis. Summa diſtinctionis: *vota veſtra ſimplicia ſolui poſſe arbitrio ſuperiorum, ſolennia arbitrio Papæ.* Nec verbum vltra: nec vtrum de vtroque genere voti de quo ſupra, an tantum de votis quæ cum limitatione nuncupentur: nec ſi de ſolis ijs quæ cum limitatione fiant intelligi velis, vtrum tale fuerit votum Bellarmini: nec ſi tale fuit, vtrum etiam iuſta de cauſa & idonea auctoritate relaxatio facta fuerit. Vides inertiſſimam ſomnolentiam tuam: dum ne hæreres ſi lutum hoc premeres, leui & ſicco pede tranſis & fugis.

Sed non ſic oportuit cogitata tua inchoata & ſemianimata deſeri. Qui vouent ſine limitatione, ab ijs vis intelligi limitationem, at in voto, vt in iuramento, ſilentium non facit ad relaxationem, ſed ad obligationem: nec in huiuſmodi ſilentio intelligenda potius quæ diſſoluant, quam quæ conſtringant magis: vt quod de fraude à Cicerone, idem v-

niuerse de silentio rectè dici possit, *non dissolui hoc pacto sed distringi periurium*: quis enim conditionem nisi expressam valere pro obligato facile patitur? valent conuentiones, non tamen statim conditiones aut limitationes tacitæ: & qui tacet, cum sibi posset loquendo prodesse, [f] præsumitur iuri suo renunciare. Sed & in voto status immobilis & perpetui (sic enim, vt supra notaui, exponit Bellarminus) vis intelligi limitationem eiusmodi, quæ hunc statum faciat ἐκστατικόν: & hoc immobile & perpetuum faciat maximè mobile & mutabile. Quid enim mobilius, quid mutabilius arbitrio superiorũ, arbitrio Papę? aut quomodo statũ dicis eorũ qui non stant certi, sed, vt loqueris, *pendent*, id est expectant dubij & incerti? Sit sanè aliàs, vt in iuramẽto aut voto, *excepta videatur auctoritas legis vel superioris*: hic tamen, cum & lex vestra & superior (quemcunque intelligitis) hoc votum, quo illorum auctoritati detrahitur (vt in * solennib⁹ certe detrahitur) ratum habuerint, huic interpretationi nullus relinquitur locus, detrahitur enim expressè superiorum & Papæ arbitrio, cum solenne votum status immobilis & perpetui nuncupatur: ita cum huiusmodi votum ab illis & à papa initio approbatum fuerit, necesse hac approbatione abscissam esse dispensandi potestatem: & quod aliàs [t] cum limitati-

[f] *Tacens, inquit Bartol., quoad suum incommodum, habetur pro negante: id est pro abnegante & renunciante, id quod ipsi commodum esset.* – * *Vide Ribadeneiram de vita Ignatij libr. 3. ca. 22 pag. 361. vbi cum simplicia vota spiritualium coadiutorum in societate Iesuitica dicit similiter (atque eorum quos Professos vocat) publica sed simplicia in manibus superioris emissa: videtur sola simplicia cum limitatione facta intelligere (similia vide pag. 377) & tamen etiam simplicia esse status perpetui, constat ex Ribadeneira pag. 383 vbi Grego. 13 definit qui his solis tenentur esse vere & proprie religiosos.* [t] *Vide Becani quæstiones miscellaneas pag. 70. vbi in oratione Regis Gallicani Henrici 4 pro Iesuitis dicitur, eos vouere se ad dignitates Ecclesiasticas nunquam aspiraturos: huic voto subintelligatur limitatio quam hic Becanus subintelligi vult, nimirum nisi* Papæ ita videbitur. *id est nisi is qui dignitatibus conferendis præest, eiusmodi aliquam in ipsos contulerit. Quam ridiculum hoc votum?*

one

one(*modò superioribus, modò Papæ placeret*) intelligi poterat: nunc postquam his ab initio placet, vt statum perpetuum vouerent, omnino absolutè & sine limitatione nuncupatum intelligi oportet: tu tamen ad horum qui per voti approbationem suo iuri iam ab initio renuntiarũt, arbitrium, vis huiusmodi votum status perpetui relaxari.

§. 6. Superiorum quidem (quos à Papa distinguis) arbitrium ad iustam causam reuocas: sed iudicium credo iustæ causæ penes eosdem esse vis: alioquin enim, quomodo vis eum de quo loqueris, *non aliter obstrictum censeri quàm ad superiorum arbitrium?* Sed cur non etiam in altero distinctionis membro, *de arbitrio Papæ* itidem *iustæ causæ* mentionem facis? aut cur ita cum de Papa loqueris mutas stylum, vt superiores quidem Iesuitam, à societate *dimittant*, Papa societati eripiat? vt quasi alter ἅρπε τύραννε, aut qualis ille puerum regium *præpes ab Ida sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis*, ita rapiat, aut vestro gregi eripiat inuitos.

Tu criminis auctor
nutritus duræ Romule lacte lupæ.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas.

Ita credo, quia aliàs Romanus papa ad amussim primo Regi Romano respondet, Nothus Martis, lupinus alumnus, lupercorum & [u] Saliorum, (id est sacerdotum Martis) instaurator, ex pastore Rex, qui & asyla fugitiuis nostris aperuit, & *per quem nunc Romæ quidlibet audet amor*, fratricida denique (id est Episcoporum in potestate consortium oppressor) ideo etiã eundẽ vis esse raptorẽ corporũ: vt Archetypus ille Sabinarum fuit. An verò te quoque

u *Sic Iesuitæ comiti Northãtonio oratione in actione contra Garnetum.*

que iam voti pœnitet, vt ijsdem verbis Papam appelles, quibus ille Æneam ad stygium lacum errabundus: *Eripe me his inuicte malis. Unde hæc ô* Becane *tibi tam dira cupido? fata obstant: tristique palus innabilis vnda alligat: & nouies Styx interfusa coercet.* Sed si Papa potest voto solenni obligatos societati eripere, vnde illud vestri[x] Maldonati? *nec Papa*, inquit, (*nam quæ Theologia diceret Ecclesiam posse dispensare in iure naturali vel diuino?*) *nec tota Ecclesia potest dispensare de voto solenni.* Addit quidem ibidem Maldonatus, *posse causas incidere in quibus Ecclesia non quidem dispenset in voto solenni, sed per interpretationē æqui & boni declaret, eum qui fecerat votum, non teneri voto.* Sed quid hoc ad tuum *eripere?* num eripit vinculis, qui non facit, sed declarat liberum & solutum? *Simplicia* ista, vota quæ [y] vocas (Lombardus cui rectiùs priuata dicuntur) definit esse, quæ fiunt in abscondito, solennia quæ in conspectu Ecclesiæ: atque hæc a priuatis seu simplicibus ea solum ratione distinguuntur à Lombardo, quod si violentur, non solum peccatum habeant, sed etiam scandalum: ideoque cum in simplicibus ijs quorum notitia publica est, non minus sit scandali si violentur, quam in solennibus: quid ni qui hoc genus simplicium inconsulto Papa relaxare possunt, etiam solennia relaxent? Nec solum hoc genus simplicium, si[z] Maldonato credim⁹, sed omnino omne votum simplex, tantum obligat apud Deum, quantum votum solenne: itaque cum voti obligatio nulli sit nisi soli deo, quid ni ijdem superiores vestri qui (vt fateris) possunt simplex votum sine Papa relaxare, etiam sine Papa votum so-

x *Summul: q. 12. art. 7.*

y *Lib. 4 dist. 38. de hac distinctione voti simplicis aut solennis vide Toletum in instruct. sacerdotū de voto: Azor: Instit: Moralium & Bellarminum de Mon: l. 2. c. 34. Nota quæ Lombardo* solennia *sunt id est publica, Iesuitis sæpe* simplicia *esse. vide supra in margine ex Ribadeneira.*

z *Summul. q. 15 art. 7.*

ſolenne relaxare poſſint? Certè [a] Gregorio de Valentia, in ſacerdotum veſtrorum ordinatione, votum coelibatus (quod in ea implicitè contineri dicitis) votum ſolenne eſt: & Pamelio [b] in Cyprianum omnium virginum velatarum votum ſolenne eſt: tu tamen de quibuſdam è ſocietate veſtra [c] dimittendis (temporales credo & ſpirituales coadiutores ſignificans) qui ſimplici tantum voto obſtricti tenerentur: vnde etiam ſequitur quoſdam in eandem admitti hoc tantum voto: ne hic quidem loqueris vt ignari rem intelligant, ſed vt à re aberrent incerti.

a *Libri de coelibatu cap.* 20.

b *Lib.1.Epiſt.* 11.

c *De quibus apud Ribadeneiram lib.3.de vita Ignatij cap.21.*

§. 7. Sed de Bellarmino, ſiue per diſpenſationem, & (vt tuo verbo vtar) *ereptionem*, ſiue per Maldonati declarationem, liber iam tandem & ſolutus dicatur, certè niſi iuſta ei cauſa, [d] (de qua Azorius) niſi [e] æquum & bonum (de quo Maldonatus) interceſſerit, voti violati reus ſit neceſſe eſt. *Iuſtam cauſam* exponit in [f] Torto Bellarminus, *quando expediat ad gloriam dei, & ad animarum ſalutem.* Quid ergo in tali cauſa, vt tu initio dixiſti, inuitus Bellarminus? an potius, ne votifragum fateare, reuocabis quod dixiſti temerè, inuitum admiſiſſe Cardinalitiam dignitatem. At ſi tibi credi non vis, tamen quod de ſanctis antiquis qui ex Monachis facti ſunt Epiſcopi, fatendum ait [g] Bellarminus, niſi in eos contumelioſiſſimè mentiri velimus, idem & de ipſo, qui ex Monacho factus eſt Cardinalis, dici non difficulter patieris. *Conſtat* ergo Bellarminum (ipſius verbis vtor mutatis nominibus) *inuitum ex Monacho factum* Cardinalem, *vehementer* Cardinalatum *fugiſſe, vt perpetuo in Monachatu viueret.*

d *Lib.5. c.17.*

e *Vbi ſupra.*

f *Pag.19.*

g *De Monach. lib.2.cap.2.*

Hæc

Hæc cum de eo constent, constat etiam eundem non putasse, ita iustam fuisse causam sui relaxandi, vt aut ad gloriam dei, aut ad salutem animarum expediret: quis enim non Atheos contumeliosum sibi putaret, nisi invitus talem causam & vehementer refugiens admisisset? Et quomodo tandem potuit videri causa eiusmodi, cum status Monasticus, vt vultis, perfectionem eam profiteatur, quæ præ alijs centuplum mereatur? etiam in definitione voti Monastici, vultis esse promisionem *boni maioris*: putà quàm quod extra Monachatum præstatur. Etiam ex Hieronymo & Bernardo [h] vrgetis, disciplinam Monasticam vocari secundum quasi baptisma: quo scilicet, vt in baptismo, peccata remittantur: vnde & Antonium cognouisse ex Angelis, omnia sibi peccata remissa esse, cum Monasticam vitam iniuit. Nec plus credo dices eam Bellarmini, quam nunc potius nauat, operam practicam, Ecclesiæ prodesse quàm eam qua, cum vester erat, pollebat, scholasticam: Et si plus practica opera prodest: erant tamen complures qui in genere hoc practico, non minus possent: cum in illo scholasticæ industriæ, vix quisquam ex vestris æquè. Itaque etsi vtilissimus in Cardinalatu futurus erat: iusta tamen Monachatu exeundi causa nulla, respectu salutis animarum, nulla ratione gloriæ diuinæ: ad quam semper in Rachelis, id est vitæ contemplatiuæ, pulchritudine magis expeditã viam existimastis, quàm in lippę Leę, id est vitę practicæ, fœcunditate. Nec aliunde illud quod vestro ordini aliquandiu præ ceteris in gloria fuit, vt nullam dignitatem Ecclesiasticam admitteretis: quanquam & aliorum planè omnium

h *Greg. de Valent: de votis cap. 2.*

omnium ordinum Monasticorum, vnum consilium, sententia vnanimis, de renuntiandis rebus omnib⁹, quæ vulgo pretiosa aut gloriosa esse solent: vnde [i] Cassianus vester cum vtrumque coniungens, mulieres atque Episcopos, vtrumq; Monachis vitandum edicit, quia vtrobique *diuinæ contemplationis impedimentum*: Cardinales quoque & Cardinalatus, si posterioribus temporibus vixisset, eadem ratione addidisset. Et tu tamen quæris, *quid hic noui*, puta in Iesuita aut Monacho facto Cardinali? quære etiam quid noui in Diogene purpurato? Quanquam de nouitate non disputamus, sed de causa huius mutationis: ea si *iusta* fuit, si *ad salutem animarum, si ad gloriam dei expedijt*, de nouitate non morabimur, ne de auctoritate quidem Papali; quin fateamur votum rectè relaxatum.

i *Lib. 11. cap. 7.*

Sed vtrum talis causa fuerit, roga, quos non credo dices harum rerum securos fuisse, quos dixi Laynezium & Borgiam: vtrumque vestri ordinis Iesuitici: quorum vterque Cardinalatum constantissimè recusasse dicitur. Roga [k] Petreium Carthusianum, qui pro singulari beneficio diuino habet, neminem adhuc sui ordinis Papam fuisse: adde & Sanctum vestrum Franciscum, qui ita Monachis suis omnia quæ ad opes & gloriam essent contemnenda putauit, vt mortuo fraterculo Petro (si [l] vestro homini fides) ne miracula plura ederet per sanctam obedientiam imperarit: quia concursu populi tam illustri, sacræ Monachorum quietes infestæ reddebantur: adde & quod dicitur, eundem Franciscum ita gloriæ & splendoris contemptorem fuisse, vt pediculos semel excussos (etsi [m] canus hoc non

k *Bibliotheca Carthus. fol. 384.*

l *Sedulio Apol. li 3. c. 24. num. 26. vide ibidem idem imperatum à Franciscanis, mortuo fraterculo Conrado.*

m *Loc: Theol. lib. 11. cap. 6.*

non credit) in seipsum solitus sit immittere, Adde etiam in vestro ordine (ne ab eo discedam) nobili genere natum [n] Gonzagam: cuius in laudibus, quod pannosa (credo etiam pediculosa) subligacula habuerit in delicijs: quodque veteres illas ocreas, quia quondam fuerint viri in dignitate aliqua positi renuerit induere. Nec omittendus pater Iesuitarum Ignatius Loyola, qui Cynico contemptu splendoris externi, vel Diogenem anteiuit: vtque hic ludibrio omnibus esse, & pro insano haberi, & malè vestiri, & in sordibus agere ambijt: ita Ignatius (inquit [o] Ribadeneira vester) ludibrio omnibus se cupiebat esse, & vel nudus, despicatus, oppletus sordibus, vt insanus haberetur, per vicos ambulare: [p] culinā ingressus, per multos dies & coquum egit, & alia vilia ministeria obiuit, tam accuratè & seriò, vt quasi nouitius aliquis sui tantum profectus causa facere videretur: etiam baiulum egit, si [q] Salmeroni creditur. [r] Franciscum Xauier & Simonem mittens in Lusitaniam, monuit vt ostiatim mendicarent; etiam Diogenem, qui baculum propter se cum mortuus in sterquilinium proijceretur, erigi voluit, quo corui abigerentur, superauit: cum Ribadeneirę dixit, à Deo petendum, vt cadauer suum volucribus & feris laniandum abijceretur: etiam vilissimo habitu seminudus incedebat: & tanquam mendicus, cum mendicis hospitabatur. [s] Atque vt Alexandrum Magnum, Diogeni colloquentem, ferunt

[n] *Vita eius fol. 100. & 306.*

[o] *In vita Ignatij lib. 5. cap 3. & lib. 3 cap. 2.*

[p] *Ita tempora diuidebat, inquit Ribad. vt & negotijs grauioribus adesset: & culinæ tamen non deesset.*

[q] *Pref. tom. 1.*

[r] *Ribad. l. 5. c. 3*

[s] *Quod etiam totus nudus incedere voluisset vt insanus haberetur, hunc affectum ait Ribadeneira repressum vtilitate proximorum: ita hic affectus non susceptus (vt vult Gretserus in Apologia) sed depositus ob vtilitatem proximorum si Ribadeneiræ credimus, vt auctoritatis suæ rationem haberet: cui tamen paruisset, si* animo suo (*vt idem loquitur*) *indulgere voluisset.*

pene

pene factum Cynicum: ita Franciscus ille Borgias, quem dixi, ex illustri Ducatus dignitate in Cynicum Iesuitam transmutatus est: caligas pannosas ruptasque cum haberet (inquit in eius vita Schottus Iesuita) non mutabat tamen: cum femoralia noua munere oblata, furtim subductis laceris, socius lectulo noctu opposuerat, pater dolo comperto, vetera repetit: noua Domino reddi iubet: in collegio Lusitano ostiarij vice arreptis clauib° perfungens, porcum iugulatum in eleemosynam oblatum, in superiorem domus partem, per gradus, non sine labore portauit, quid mirum, inquiens, si porcus porcum commodè tulit? collegium Septimancense aliquando ingressus, rectà in culinam tendit: coquum ignotus rogat, nunquid iubeat: ille quid nosset quærit, hic nihil ait melius quam pauimentum verrere, ollas detergere: laua igitur ait coquus, ollas hasce fuligine obsitas: hic & libenter inquit: diuque ibi hæsit: rursus coquo operam dans, à Iohanne Lusitaniæ principe per literas euocatur: ostiario literas reddenti, veniam ait à coquo poscas, cui nunc pareo: adhæc coquus, vale & reditum matura: opus enim mihi adhuc tua opera: & hoc narra principi, quo facilius missionem impetres: vt mandatum fuerat, Borgias principi refert, dimittitur: coquus reuersum iubet lebetes duos æneos implere haustâ è Cisternis aquâ. Hæc Schottus vester de Borgia: qui non ignarus ostrum Cardinalitium quàm dedeceret induere eum, quem ista decuit facere & pati, ostrum hoc vt dicitur renuit. Atque huius potius quàm Toleti exemplum Bellarmino imitandum iudicat idem Schottus. [t] *Socij*, inquit,

[t] *Epist. dedicatoria libri de vita Borgiæ.*

inquit, *nostri hæc parentis* (Borgiæ) *optimæ pietatis expressa vestigia intuebuntur: quibus, dum insistere volent (velle autem debent) minimè degenerasse à maioribus videbuntur.* Similia de Ignatio habet [u] Ribadeneira. Cynicos ergo quosdam, & Socrates insanos vos Iesuitas esse & Bellarminum fuisse oportuit: contemptui potius quam honori esse cupiisset: Et quid huiusmodi insanis, lixis, baiulis, mendicis, ludibrijs, cum cardinalatu, cum conclaui, cum consistorio, cum mula, cum ostro, cum galero?

[u] *Ad lectorem libr. de vita Ignatij.*

§. 8. *Et quid hoc noui* (inquis) *quotidie apud vos similia fiunt:* similia huic *ereptioni* Pontificiæ, cum Iesuitam *eripit* Pontifex *ex societate*, & *in alio statu collocat:* & quæ tandem illa apud nos similia? *Promittitis*, inquis, *Regi vestro fidelitatem & obedientiam: sed cum hac duplici limitatione: primùm quam diu manetis in Anglia: deinde quam diu Rex non mutat religionem: si secus fiat, putatis vos non obstringi.* Struthiocamelus semper es & ἄστοργος, qui oua securus in arena deponas, & deseras. Quæ enim hæc tam indigna negligentia, vt cogitationes tuas ita informes, ita inchoatas, nobis extrudas? applica ad propositum hæc tam aliena. Quid apud nos simile metamorphosi Bellarminianæ his verbis intelligis? id (credo) vis: & nos in iuramẽtis tacitas limitationes admittere, vt vos in votis: primum si ita esset, an ergo similes vestris admittimus? aut eiusmodi quæ cum ipsis iuramẽtis more vestrarũ limitationũ pugnant ex diametro? Sed vnde tibi ista tam admirabilia de nobis, aut quæ hæc impudentia tua, vt eodem spiritu duo tam tetra mendacia de nobis, homo hospes in rebus nostris, tam audacter efflares?

Si

Si secus fiat (id est, si vel ipsi extra Angliam fuerimus, vel Rex mutarit religionem) *putamus nos ei non obstringi.* Parùm siccum te fuisse videtur, ista cum scriberes: tandem postquam villum edormiueris, audi non nostram hanc, sed vestram sententiam vtramque: sic enim statuitis (vt mox dicetur pluribus) hæreticos Reges, aut (vt Simancam interpretabatur causam dicens Garnettus) saltem Apostatas, id est, qui religionem à vera in falsam mutauerint, excidisse omni iure Regio. Et[x] Bellarmino etiam non cœlum modo, sed & fidelitatis officium mutant, qui trans mare currunt. Nobis & hæc & illa sententia odiosissima. Nec ignotum nuper ab eodem consessu Ordinum regni Anglicani, qui iuramentum fidelitatis sanxit, Hugonem Owenum & Creswellum Iesuitam (etsi absentes) certis testimonijs læsæ maiestatis condemnatos, ob consilia nefaria, alteri in Belgio, alteri in Hispania, contra Regem & patriam inita. Et quid est quod in tota nostra defensione iuramenti fidelitatis magis extat atque eminet, quàm hoc vnum quod dicim⁹, nec mutationem religionis in Rege, nec hæresim vllam, parere fidelitatis mutationem in subditis? & tu tamen homo amens, & hoc quoque à nobis contra statui præsumis.

x De Cler. lib. 1. cap. vlt.

CAP. XVIII.

a Pag. 37. b Pag. 136. *Paradoxum decimum quartum* [a] *facis, quod* [b] *dicat Catholicos docere fidem non esse seruandam, & perfidiam esse licitam.*



QVid ita nos vestra vlcera cogis tangere? verbo notata vno atque altero abijssent prodigia dogmatum vestrorum, & ex dogmatibus natæ tragœdiæ: Non finis. *Mi homo,* inquis, *qui sunt illi apud nos qui sic docent?* adhuc insolentius vrges: *si nihil,* inquis, *aliud quàm mentiri atque calumniari propositum tibi est, non magnopere miror te ista scribere.* Nondum irritasti satis, exultas demens: *est,* inquis, *quod pace tua dixerim luculentũ mendaciũ & aperta calũnia:* causę optimę nobis conscij, sequimur quo vocas: necdum enim prouocandi finis: *cur non,* inquis, *rem prius examinasti? inuenisses aliam doctrinam sine dubio apud Catholicos.* Et inuenit apud veros Catholicos aliam: & inprimis apud [c] Augustinum: etiam apud Ethnicos, & apud vestros Catholicos (id est nostros hæreticos) aliam: nec enim si dicitis, ideo non & contradicitis. Nec apud omnes vos perfidiã licitã dicimus, sed receptis apud vos sententijs, libris publicè editis, & superiorum auctoritate approbatis, auctoribus viris primarijs, quorum singuli, aut sequacium agmen ducunt, aut saltem ex communiore sententia & praxi vestra loquuntur. Nec alios sanè intellexit Episcopus,

c *Enchirid. ad Laurent. ca, 22 & contra mendacium ad Consentium cap. 18 & 19.*

pus, cum diceret *vos docere perfidiam licitam*: huiusmodi enim quos dixi aduersarios notauit: te quoque inclusit, vt statim audies: & omnino eos præ cæteris, qui iuramento fidelitatis obtrectant. Atque vt iudex corruptus rectè dicitur dictionem iuris venalem habere, etsi nec ita vilis sit, vt ab omnibus, nec ita sordidus, vt omnia, nec ita obduratus vt semper accipiat: Ita qui à vobis fidem & iuramenta contemni dicimus, [d] nec πάντα, nec πάντων, nec πρὸς πάντας contemni dicimus. Est enim apud vos inprimis cautio [e] *modo opportunitas & vires adsint. Sit hæc cautio adhibenda*, inquit Iesuita in Philopatre, *vt vires habeant ad hoc idoneas subditi: alioqui in religionis Catholicæ præiudicium cederet.* Id vult, quod clarè martyr vester Oldcornus, cum coniurationem puluerariam iam detectam, negaret ex euentu existimandam, quia *huiusmodi consilia non laudantur, nisi peracta.* Atque ita, dum Catholicis vestris excusationem infidæ dissimulationis aptatis, etiam in sanctorum primitiuæ Ecclesiæ patientiam, quam ideo fuisse [f] vultis, quia deerant vires, contumeliosissimi estis.

d *Dig. lib. 1. tit. 16. f[...] locutio [...] qui mun[...] cip[...]t.*

e *Becanus [...] fid hæret [...] Windeck in lib. de hære[...] tirpandis. [...] nes in 2. 2. [...] Aquin q. 12. art. 2.*

f *Bell. de pontif. lib. 5. cap. 6 Tortus pa. 44.*

§. 2. Quanquam & in hac quoque cautione dum dissimulando seruitur tempori, non minus plerumque perfidiæ, quàm in ipsa, cum occasio & vires adsunt, perduellionum & machinationum licentia. Contra veritatem enim (quæ in promissis atque etiam in officijs, fides dicitur) [g] non magis peccatur cum facta verbis, quàm cum verba menti dissonant. Atque hoc modo auctoramentum perfidiæ, dispensatio de qua [h] in memorabilibus Ligæ, qua permissum Iesuitis vt seruirent tempori: quo sanè

g *Vide Becanũ de fide erga hæret. cap. 5.*

h *Tom. 6. pag. 262.*

inprimis conduceret deprauatio illa loci Paulini, si
i Rom. 12. 11. obtinuisset: vt pro [i] κῷ δουλεύοντι, legeretur, non κυρίῳ
sed καιρῷ δουλεύοντες. Sed dispensationi huic planè gemina & germana altera, quæ actione in Garnettum ab ipso agnoscitur, indulta aliquando à Gregorio 13 Catholicis vestris Anglicanis: quam post Bullam Pij quinti furiosam, Personius & Campianus duo Iesuitarum Coryphæi, cum in Angliam venirent
k Circa annum 1580. [k] impetrarunt, vt rebus sic stantibus, & donec publica Bullæ Pij quinti executio fieri posset, externam obedientiam præ se ferrent ad vexationes redimendas. Vnde tandem cum octauo post anno expeditio Hispanica in Angliam in procinctu esset, Cardinalis Alanus & simul etiam declaratoria Bulla Sixti quinti eosdem certiores facit, hactenus toleratum: nunc non modò posse, sed etiam debere se Hispano adiungere. Nec
l Circa annum 1587. [l] metuit idem Alanus Stanleianam Dauentriæ proditionem eiusdem Bullæ Pij quinti auctoritate defendere: quam etiam proditionem Bellarminus
m Pag. 109. [m] in Torto satis euidenter approbat: quemadmodum etiam non ita pridem in Hibernia (vt seditiones, partim in Anglia, partim in Hibernia, plures iam ante, ex quo Pij illius impij bulla promulgata est, hac eadem auctoritate, etiam coniuratores & sicarios ad occidendam innocentem Reginam subinde alios atque alios excitatos, prætermittam) ab Academia Salmantica in regno Castellæ funesta O-Næli Tyronij perduellio solenni *determinatione*
n Anno 1602. [n] approbata. Extat determinatio: *eos omnes Catholicos peccare mortaliter, qui Anglorum castra contra Hugonem O-Nælum sequuntur: nec posse eos æternam salutem consequi, nec*

ab

ab vllo sacerdote à peccatis absolui, priusquam resipiscant, & castra Anglorum deserant. Quod enim exemplo Gregorij decimi tertij, Clemens octauus perfidam Hibernis dissimulationem, aliquandiu indulserat, ad tempus fuit: dum parum videretur in conspiratione virium: tandem vbi collectæ vires, iamque etiam secunda in Angliam expeditio Hispanica intentaretur, [o] datis ad hunc Tyronium literis, *Fili*, inquiens, *dilecte, nobilis vir, salutem &c.* Nefariam perduellionem vocat *sacrum fœdus:* & suorum more quasi Deo esset à consilijs, promittit Deum *pro ijs pugnaturum, & inimicos contriturum.* Eadem etiam spe inuasionis Hispanicæ, iam duobus Breuibus in Angliam ad Garnettum Iesuitarum Prouincialem datis, futurarum coniurationum & omnigenæ in Regem Iacobum & in patriã perfidiæ fundamenta idem Clemens octauus iecerat. Summam horum Breuium Bellarminus [p] in Torto exponit paucis: *vt Catholici operam darent quantum in ipsis esset,* vt (cum Regina Angliæ è viuis excederet, quod breui futurum videbatur) *Rex ad religionem Catholicam benè affectus eligeretur.* Duplex in hoc consilio Papali auctoramentum perfidiæ: primum, cum ex ijs quibus hoc consilij dabatur, longè plurimi, non electioni, sed successioni iurati fuerant, necesse qui ad *electionem* intenderet digitum, eundem & ad iuramentum violandum incitare. Ad hæc, vt mox euentu, & per coniuratorum interpretationem patuit, qui ad excludendum Iacobum Regem hoc pacto Catholicos suos hortatus est, idem etiam mortuus ad eundem eijciendum hortatur.

o *Anno.* 1601

* *Anno.* 1600.

p Pag. 55.

§. 3. Itaque vt à Pio quinto per Bullam anni 1570. proſpectum, vt coniurationum & perfidiæ contra beatiſſimam Eliſabetam auctoramentum deeſſet nunquam: ita Clemens octauus, ne contra diuinitus cuſtoditum Iacobum Regem vnquam deeſſet, iam dudum, per geminas illas bullas ſiue Breuia, duobus ante annis quàm regnum ab eo iniretur, curauit. Quæ hinc inſecutæ coniurationes, prima Ieſuitarum Hiſpanica, ſecunda ſecularium ſacrificorum domeſtica, tertia iterum Ieſuitarum atrociſſima pulueraria, notũ ex actione in Garnettum & cęteros coniuratos: cuius actionis fidei contra Ieſuitas Bellarminus ſecunda reſponſione & alij veſtri homines fruſtra detrahere ſtudent. qNotum etiam ex Tortura Torti coniuratis illis puluerarijs, non modò conſcientiâ & taciturnitate animos à Garnetto & alijs Ieſuitis additos, ſed & auctoritate, ſtudio, conſilio, confirmatos. Nec minus huius facinoris in Anglia inchoati, quam alterius non multo ante in Gallia per Iacobũ Clementem contra Henricum tertium Gallum perpetrati, approbatores, Ieſuitas fuiſſe. Nam ſi adeo es fronte dura, vt de Henrico hoc tertio neges immaniſſimam cædem vobis approbatam, vide quæ r in Tortura de Sixti quinti oratione, ſtatim à cæde habita, diſputantur: Extat oratio impreſſa Pariſijs, per ſacræ vnionis typographum: circa tres menſes poſt cæſum hunc Henricum tertium, edita cum approbatione trium doctorum: nec enim rectè Bellarminus ſ in Torto, non extare niſi in Antiſixto: quam

q *Vide c. 5. §. 2. huius reſponſionis in nota marginali.*

r *Pag. 241. verba Sixti inter alia,* factum non ſine Dei ſuccurſu: *definijt ergo Papa rectè factum (contra quam in Torto dicitur pag. 86.) Deus enim credo Bellarmini iudicio non ſuccurrit malis inceptis.*

ſ Pag. 86.

quam

quam nec Marianam credo Iesuitam huius facinoris [t] approbatorem respues, postquam auctoritate patris Generalis Aquauiuæ, & Stephani Hoyedæ visitatoris approbatione Toleti impressum, iterum post sextum annum, idque vt scis Moguntiæ vestrę, imprimendum curastis. Nec condemnabis credo librum de iusta abdicatione Henrici huius tertij, Lugduni anno 1589. ex præcepto superiorum, & cum insignibus Iesuitarum apud sanctæ vnionis bibliopolam impressum. Nec de simili in Henricum quartum per Iohannem Castellum attentato scelere (quod Rauillacus tandem effecit) purgabis, credo, facile vestrum ordinem: etsi huncin finem integram huius Henrici orationem longiusculam pro Iesuitis, in quæstiones miscellaneas, loco alienissimo transcripseris. *Iohannes Castellus* (inquit illa quæ Parisijs aliquando in rei monimentum erecta steterat columna) *nefandus Parricida, Regem Henricum quartum confodere voluit: pulso propterea tota Gallia, hominum genere* (Iesuitas significat) *nouæ & maleficæ superstitionis, qui rempublicā turbabant: quorum instinctu piacularis adolescens dirum facinus instituerat.* Non mentitam columnam vide in Anticottono homine Romano Catholico comportata testimonia: apud eundem vide, & si potes dilue, vestri ordinis non leuibus indicijs, sed pressis vestigijs crimen in scelere Rauillaci aut deprehensum, aut certè plusquam verisimile. Vt iam non vna illa (quæ in Castelli monimentum steterat) Iesuitarum in Galliam reditu euersa columna: sed & altera columna verior (vitam dico Regiam columnam rei Gallicanæ) eodem non multo post reditu concidisse

t Aggressus est, inquit, cognito à Theologis, quos erat sciscitatus, tyrannum licitè interimi posse lib 1. de Rege cap. 6.

disse videatur: nec de vna iam vobis Iesuitis, sed de duplici columnâ euersâ trophæum statuendum.

Collige hæc iam, & dic si *luculentum mendacium*, aut *aperta Calumnia*, quod dicimus ex vestra doctrina sæpe licitam subditorum perfidiam erga Regem, erga patriam. Nec minus credo hic perfidiæ dixeris, quod sæpe nullum intercedit iuramentum, nulla solennis promissio: sunt enim inter Regem & subditum, inter ciuem & patriam, quemadmodum & inter filium & parentem, tutelę & fidei conuentiones tacitæ;[u] conuentiones autem etiam tacitæ valent, si iureconsultis credimus. ideoq; vt rectissimè in Apologia Regia dicitur, & à Bellarmino [x]in Torto agnosci videtur, in ortu cuiusque naturali, intelligendum iuramentum tacitum & congenitum (id est tacita conuentio) ad obediendum principi Politico: vel si καθόλου loquendum est, ad quadruplicem pietatem quasi congenito iuramento natura vnumquemque obligat: erga parentes, erga patriam, quæ quasi parens communis est, erga principem qui pater est patriæ, & erga Deum qui pater est vniuersi: itaque qui in horum aliquem impius inuenitur: etsi nulla solenni promissionis aut iuramenti formula obligatus fuerit, perfidiæ tenetur, & commune omnium præsidium, id est fidem, violat. Ita qui subditos in patriam, in principem armant, qui percussores principi, qui veneficos ex subditis aut ex ijs [y] quibus fidem princeps habet immittunt, qui hæc licere vnquam aut clam insusurrant, aut palam libris editis docent, omnes perfidiæ auctores Episcopus noster censet: nec aliud credo magis in animo habuit, cum vobis licitam perfidiam diceret.

Sup-

u *Digest. li. 2. tit. 14.*

x *Pag. 60.*

y *Vide Apologiam pro Christiano Batauo, contra Becani quæstiones miscellaneas, pag. 158. quod exemptionis priuilegia, etsi iusta essent, Clericos proditores non excusent à perfidia, vt quos ipse locus, & incolatus, sub protectione Regia, & aliæ conuentiones tacitæ ad fidem obligent.*

Supponit enim hoc loco, vt quod ante diligenter probauerat, Papales absolutiones subditorum à iuramentis, à fidelitate, ab obedientia (etiam ex causa Veneta exemptiones clericorum) in cœlo ratas [z] nequaquam haberi: vbi ergo *luculentum mendacium?* vbi *aperta calumnia?* certè enim in eo quod ratum non est non potest esse excusatio perfidiæ: & vnde quæso Alano, vnde Sandero, vnde alijs proditorum, coniuratorum, perduellium nostrorũ patronis defensionis aut excusationis materia cui inniti posse videantur, nisi ab istis absolutionibus & exemptionibus Papalibus? Nec tamen aliunde etiam deest quo perfidiam apud vos licitam esse constet.

§. 4. Tres causas apud Iohannem Marianam Iesuitam agnoscit Gretserus: quibus vel priuato liceat Regẽ occidere: si aut lata sententia in eum statuatur, aut populi voce cædes expetatur, aut eruditorum iudicio approbetur: nec multo cautius Bellarminus, [b] vbi in hoc quoque Monarchiam Papalem absolutiorẽ facit regali, quod summa potestas ciuilis in Rege quidem sit, sed à populo profecta, & deriuata: & proinde radicaliter & suppletiuè in populo: Ecclesiastica autem non itidem ab Ecclesia. Vnde Papam nullo modo vult ab Ecclesia inuitum iudicari posse: quemadmodũ nec patrem familias à familia; quia auctoritatem à familia non habet: Regem tamen quando degenerat in tyrannum, à populo iudicari vult, quia à populo auctoritatem habet: *omnes enim homines*, inquit, *naturaliter sunt liberi & æquales: nec potest vnus ceteris imperare, nisi illi se ei subijcerent*: similia habet

z *Quã parũ tãdẽ inhuiusmodi absolutionibus acquiescãt miserorũ, qui per eas seducuntur, conscientiæ, testantur verba Rodulphi ducis Sueuiæ ex vulnere amputatæ in prælio dexteræ morientis apud Helmoldum in Chronicis Slauorũ, & similia apud Abbatẽ Vrspergẽsem.* Iussio, *inquit*, Apostolica &c, me adduxit vt iuramẽti transgressor honorem mihi indebitũ vsurparẽ hac manu ego iuraui dom^o. Henrico viderint qui nos ad hoc instigauerũt: ne forte deducti sim^9 in præcipitiũ æternæ damnationis.

a *In vespertilione hæretico politico p. 160.*

b *De concil. lib 2. cap. 16*

habet [d] alibi etiam clarius: vt indubitata sit huius magistri vestri sententia, Regem tyrannum etiam auctoritate populi, sine Pontifice deponi posse. Ad hanc Bel¹. sententiã, adde illud Willielmi Reinoldi, viri primarij in collegio Remensi, [e] in suo Roseo. *Regem qui quamcunque tuetur hæresim, apud Christianos non minus propriè perfecteq; tyrannum effici, quàm qui apud Philosophos spreta ciuium conseruatione, omnia in rep. stupris, rapinis, & hominum cædibus implet.* Ita qui in causa tyrannidis ijdem & in causa hæreseos, si Papalis auctoritas deficiat, satis vel auctoritate populi excusari perfidiam putatis. Id quod adhuc etiam clarius testatur Dominicus Bannes: *Etiamsi*, inquit, *Pontifex toleraret Regem Apostatam: tamen resp. Christiana possit eum pellere è Regno: quoniam Pontifex sine ratione permittit eum impunitum.* Hæc Salmanticensis Dominicus iste, Theologiæ professor, in commentarijs in [f] secundam secundæ Aquinatis: de quibus commentarijs extat tam præclarum encomium fratrum minorum, & etiam Fratris Daquis confessarij, qui iussu Senatus eosdem examinauit: vnde & apud Bellarminum [g] in Recognitionib⁹, *Populus*, inquit Nauarrus, *nunquam ita suam potestatem in Regem transfert: quin sibi in habitu retineat, vt in certis casibus etiam actu recipere possit.*

Nec recens hæc doctrina vestra de potestate populi in dissoluenda sua erga Regem fidelitate: [h] quin antiquior forte, quàm illa qua Ponti-

d De concil. lib. 2. cap. 19. vide eandem sententiam Gregorij de Valentia Tom. 3. disp. 5. q. 8. puncto. 3.

e Pag. 157.

f Quæ. 12. ar. 2

g Lib. 3. quæ de Laicis.

h Gregorium secundum cui post Gregorium tertium Papa Zacharias successit, etiam Gregorium tertium ex Platina quidam putant palam restitisse Leoni Isauro: eumque promulgata excommunicatione Italiã exclusisse: alij nihil palam ab his actum ad auctorandam Italiæ defectionem sed tantũ per secretas machinationes. Alterum enim ex Platina certum est. Sed quicquid erat certè nondum extra Italiam Pontifex Romanus hanc potestatem vsurparat.

fici

ſici Reges totius orbis Chriſtiani deponendos ſubijcitis. Cum enim ſuam poteſtatem nullam prætenderet Papa Zacharias, populi tamen hanc poteſtatem eſſe voluit: vt conſtat ex vera hiſtoria depoſitionis Childerici Franci: Per Volaradum enim & Burchardum legatos, rogatus Zacharias, non (vt vos vultis) vt ipſe deponeret Childericum, ſed vt de iure diuino reſponderet, quid ſentiret: poſſet nec ne Childericus per ordines Regni deponi; etſi, ob memoriam Caroli Martelli, & ob ſpem filij eius Pipini, vel maximè cupiebat Regnum in Pipinum transferri, de ſua tamen circa diſpoſitionem Regni Gallicani poteſtate nihil ſomnians, in reſponſione quæ extat apud[i] Auentinum, popularem modò auctoritatem aſſerit: quicquid Regi eſt poteſtatis honorum opum, dignitatis, à populo eſſe vult: populum creare Regem, & populo licere, cum cauſa poſtulat, Regem deſerere. Quo certè teſtimonio (cum apud vos authenticum ſit, quod Papa tam ſolenniter in re tanta conſultus reſponderit) neceſſe ſtatuatis ex arbitrio populi, ſine abſolutione Papali iuramenta fidelitatis violari poſſe. Nec id ſolum in cauſa tyrannidis aut hæreſeos, ſed etiam ſi Rex inutilis modò ſit: Sic enim in hac hiſtoria Canon veſter[k] *Alius*, pro regula Eccleſiæ proponit: *Romanus Pontifex Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit;* id eſt, vt habet gloſſa ibidem, deponentibus conſenſit. Audi vero etiam vlterius à[l] Bellarmino: *Si Papa*, inquit, *eſt Dominus totius orbis: ergo Epiſcopi ſunt principes temporales in oppidis ſuo Epiſcopatui ſubiectis: ſiquidem id quod eſt Papa*

i *Pag.299. cui aſtipulatur Sabellicus Enneadis 8. lib.8. & Nauclerus Generat: 26. & Blondus dec 1.l.10. ex Alcuino præceptore Caroli Magni & alijs.*

k *Cauſ.15.q.2 Simanca de Catholicis inſtitut. 45.num.25. ſi princeps quis inutilis eſſet, &c.*

l *De pontif. lib. 5.cap.3.*

Papa in Ecclesia vniuersa, est quilibet Episcopus in particulari. Ita non solum iam iure diuino & iure communi antiquo cum vestris quibusdam, sed etiam iure Bellarminiano, Episcoporum censura regibus sceptra sua extorquebit: particulares Episcopi in suis diœcesibus habebunt in temporalibus potestatem supra Reges indirectè: & vbi tandem sistet se improbitas vestra in auctoranda nequissimorum quorumcunque perduellium & proditorum perfidia? Si Papa Regem ob hæresim deposuerit, non tenebitur subditus fidelitatis iuramento: parum hoc est: si Episcopi prouinciales: adhuc parum est: si populus deposuerit; nondum satis quin etiam si viri docti & graues censuerint dignum qui deponatur, subditus non tenebitur: sic enim, vt dixi, docet publicè apud vos approbatus Toletanus Iesuita. Deponi poterit Rex, si hæreticus sit, parum hoc pro perfidia: si tyrannus, adhuc etiam parum: si excommunicatus nominatim, nondum satis: si[m] ipso iure excommunicatus, deest adhuc aliquid: si vel inutilis sit, poterit per subditos conculcari fidelitatis iuramentum.[n] Etiam si euidenter suspectus de hæresi fuerit: [o] etiam si hæreticis faueat aut indulgeat. *Is apud quem hæreticus aliquid deposuerit,* (inquit * Simanca Episcopus Pacensis) *non tenebitur post manifestam hæresim, depositum illi reddere, sed fisco petenti: quin etiam Catholica vxor, viro hæretico debitum reddere non tenetur:* addit [p] *propter hæresim patris, filij sunt sui iuris: etiam serui ab eo liberantur. Si iuraui,* inquit, [q] glossa Gratiani, *me soluturum alicui pecuniam, qui excommunicatus fuerit, non teneor exsoluere: quia qualitercunque possumus, de-*

m *Vide infra.*
n *Apologia Bellarmini pagina 325.*
o *Bullâ cœnæ excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei & nostra Lutheranos quoscunque & ipsorum receptatores aut fautores Simancha tit. 23. §. 8. Creswellus*
* *De Catholicis Institutionibus tit. 46. numero 73.*
p *Num 74. similiter gloss. cap. 23. qest. 8*
q *In can Nos sanctorum caus 15. q. 6.*

debem⁹ vexare malos, vt cessent à malo. Non tenentur inquit [r] Toletus, *reddere rem verbis contractam:* puta nisi intercesserit obligatoria syngrapha. Quid vis amplius ad Punicam fidem? *Potest* (inquiunt [s] Alanus & Personius ex transfugis nostratibus primarij) *negare eos sibi esse parentes: intelligendo quales habere debet: quia patres solent respuere filios propter religionem, & filij parentes.* Apud eosdem, *si ciuitas tota vel maior pars sit hæretica, potest negare hanc suam esse patriam: intelligendo quod non habeat hæreticam loco patriæ.*

[r] *Libr. de instruct: sacerd.*

[s] *Resolutionibus casuum.*

§. 5. Cetera libens prætermitterem: non sinis: dicendum aliquid necessariò ad disputationem tuam de fide hæreticis seruanda, postquam huc nos remittis: & ad quæstiones miscellaneas, postquam ad eas etiam prouocas: non dimittes nos nisi horum quoq; tractatuum, quorum vtrumque inscribis *de fide seruanda*, vtrumque ostenderimus *de vide violanda esse.* Rem magnam præstiturus sperasti, si ex Tortura Torti, libro plus (credo) quadringentarum paginarum, sex excerpere potuisti argumenta, quæ ex Episcopi nostri confessionibus in ipsum retorqueres. Interim in tuis illis de fide seruanda longè paucioribus paginis quanto plura pro nobis argumenta? difficile tam multa paucis & dilucide comprehendere: sed habe complura quam poterit paucissimis.

Argumentum primum,

Qui docet in rebus alioquin non illicitis fidē inuito Papa, firmam non esse, merito [t] audit doctor perfidiæ.

Becanus sic docet: Ergo Becanus doctor perfidiæ.

[t] *Becanus disp. de fide hæreticis seru: c. 10 nu. 16. In omni pacto licito & honesto fides seruari debet.*

Ad minoris confirmationem vide Becani disp. de fide hæreticis seru: cap. 4. num: 10. *Si superior contradicat aut condonet, obligatio iuramenti cessat.* ibidem *sponte* (inquit) *cessat obligatio iuramenti sine vllo periculo periurij, &c.* [u] Vide in miscellaneis pag. 56. 61. 84. vbi ex hoc principio supponit ideo subditos per absolutionem Papalem liberos esse à fidelitatis iuramentis, quia vt Reges & Principes delegatam à se potestatem ob crimina mandatariorum suorum reuocare ab ipsis possunt, ita à regibus Pontifex.

[u] *Similia vide in ijsdem miscellaneis pag. 38. & 41 de Imperatoru saluo conductu irrito facto per potestatem Ecclesiasticã: vide §. 7. infra ex disp. de fide seruãda c. 4. nu. 9 &c. de potestate iudicis ciuilis.*

Argumentum secundum.

Qui putat non licere desciscere à Rege, ipso iure excommunicato, nisi etiam nominatim excommunicatur, secundum eum necesse est, Pontificios esse doctores perfidiæ.

Becanus sic [x] *putat. Ergo secundum Becanum Pontificij sunt doctores perfidiæ.*

Maior probatur: quia, si non licet desciscere, nisi à nominatim excõmunicato, necesse qui docent licere, eosdem esse doctores perfidiæ: ita cùm Pontificij celeberrimi doceant licere: necesse (si quidẽ non licet) vt ijdem qui, hoc docent, perfidię doctores habeantur. Pontificios enim celeberrimos docere, sæpe non necesse vt sententia specialis expectetur, testis Dominicus Bannes: *In hoc* [y], inquit, *articulo sunt Felinus & Caietanus & communior sententia apud discipulos D. Thomæ: & probant, quia in hac causa semper adest volũtas interpretatiua Pontificis, atque euidentia facti obtinet vim sententiæ.* Vnde etiam illud [z] Panormitani, *cum est crimen notorium, nulla est opus declaratione sententiæ excõmunicationis.*

[x] *Disp. de fid: hær: c: 8. nu. 16 huiusmodi leges non obligãt ad executionẽ pœnæ, ante sententiã iudicis: item nu. 16. quãdiu non priuatur suis bonis quoad executionem habet ius fruendi &c. Vide etiam Quæst: miscellaneas pa. 67.*

[y] *In 2, 2. q. 12 art. 2. concl: 2.*

[z] *Cap: cum in homine extra de iudicijs.*

Cri-

Crimen hæresis (inquit [a] Gregorius de Valentia) *si sit notorium vt nulla possit tergiuersatione celari, etiam ante iudicis sententiam incurritur ex parte pœna prædicta: nimirum eatenus, vt subditi licitè possint tali domino negare obsequium.* Non dicimus principes Ecclesiarum reformatarum reos esse notoriç hçreseos ([b] ne nugeris) non hoc crimen de ijs nulla tergiuersatione celari aut negari posse: id dicimus, vestrorum hominum iudicio (etsi corruptissimo) tales esse nostros principes: ideoque hoc auctore, etiam ante sententiam Papalem, subtrahi his obsequium posse: id quod ex vi eiusdem falsæ præsuppositionis [c] Canon Gelasij necessario infert: *quia*, inquit, *Achatius non noui erroris inuentor, sed veteris imitator sit: ob id non necessarium nouam aduersus eum sententiam prodire.* Vnde in [d] Constitutionem Gregorij noni, *glossa ipso iure absolutos* dicit: *nimirum ex quo* (Domini) *manifestè lapsi sunt*. Nec opus vt quæ alia hunc in finem [e] ex libro de iusta abdicatione Henrici tertij recitantur, & [f] ex Iesuitç nostratis Philopatre, repetam: quibus adde Simancæ illud *protinus*, quod non expectat sententiam iudicis, [g] *Si Reges*, inquit, *aut alij principes Christiani facti sint hæretici, protinus subiecti & vasalli ab eorum dominio liberantur.*

Argumentum tertium.

Qui negat nominatim excommunicatos, vi excommunicationis priuari dominio temporali, facit Bellarminum doctorem perfidiæ.

a *Tom: 3. in Thomā disp: 1 q. 12. punct: 2.*

b *Puta vt sæpe contra Christianum Batauum, in quæstionibus miscellaneis: vbi quæ supponuntur ex Pontificiorum sententia arripit pro concessis.*

c *Caus: 24. q: 1.*

d *Verba constitutionis* excommunicamus vniuersos hæreticos, vt absolutos se nouerint à debito fidelitatis & totius obsequij, quicunque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur obstricti: *in glossa decret: lib 5. cap 5.*

e Bullæ de coena Domini inania vt plurimum fulmina essent nisi & facti iudicij vim haberent.

f Tortura Torti pag: 29.

g Tit: 23. §. 11.

Becanus hoc negat diſertè de fide hæretic: ſeru: ca. 18. num. 14. & 16. vide etiam nu: 10. vbi manifeſtiſſimum eſt eum hic loqui de iis qui nominatim excommunicati ſint.

Probatur Maior, ex eo quod Bellarminus in Torto, abſolutiones ſubditorum à fidelitate erga principem, manifeſtiſſimè ex vi excommunicationis deducit: earumque defenſionem hac præcipua vel potius ſola ratione aſtruit. *Et quoniam*,[g] inquit, *cum excommunicatis nominatim & publicè declaratis non licet conuerſari: ac ſecundum Eccleſiæ Catholicæ leges, eiuſmodi vitandi ſunt: ideo Pius quintus populum Catholicum ab obedientia reginæ, ad eum modum excommunicatæ & declaratæ iuſtiſſime abſoluit*: ſimiliter etiam[h] alibi euidentiſſimè pro eodem accipit, *iurare, ſe fidelitatem & obedientiam præſtiturum erga Regem, non obſtante quacunque excommunicationis ſententia*: & *iurare ſe non pariturum ſummo Pontifici, Regem hæreticum excommunicanti*: ita pro eodem accipit, *parere Papæ excommunicanti*, & *ſubtrahere fidelitatem excommunicato*: quæ duo certè pro eodem accipi nullo modo poſſunt,[i] niſi ex vi excommunicationis ſequatur priuatio dominij & iuriſdictionis. Ita qui hoc fundamentum ſubtrahit ſententiæ Bellarminianæ: nec aliud quod vllius probabilitatis ſpeciem habeat vſquam ſubſtituit: neceſſe idem Papales ſubditorum abſolutiones irritas faciat: ſicque Pontificios & Bellarminum faciat doctores perfidiæ.

g Pag. 28.

h Pag. 17.

i Quamcitò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter apoſtatiam à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio eius: *citatur in Apolo. Garneti pag. 69. ex Aquinate 2. quæſt. 12. art. 1.*

§. 6. Sed & Valadiſlai Regis Hungariæ & Poloniæ conſilium, qui pacis conuentionem cum Amurathe

Amurathe initam [k] à Iuliano Cardinali auctoritate Papali rescindi infeliciter permisit, perfidiæ [l] cum Ribadeneira accusare [m] non vereris : sicquedispensationes illas & absolutiones à datæ fidei vinculis non honestius videris quàm in perfidiæ mangonio aut lenocinio habere.

Nec ex tua (credo) doctrina, de fide hæreticis seruanda, defendi posse dices, immanissimam illam lanienam Parisiensem, contra pacificationem fide Regis firmatam : [n] cum intra paucos dies supra 30000, vtriusque sexus, & omnium ætatum atque ordinum trucidata : Pontificijs tamen approbatam testis historia depicta in palatio Lateranensi, vnde memoriâ animum & spectaculo oculos Papa pasceret : testes etiam pro felici successu laudationes, gratiarum actiones, lætitia publica. Nec obscurum quos persuasores intellexerit Maximilianus secundus Imperator, cum de hac horrenda perfidia [o] scribens, testatur, *magno se cum animi dolore intellexisse, generum suum, sibi per suaderi passum esse tam foedam lanienam : quanquam sciam*, inquit, *magis ibi alios imperare quam ipsum : attamen hoc ad excusandum factum non sufficit : neque hoc satis est palliando sceleri.* Purgasses Becane vtramque hanc infamiam Pontificiam : si quid de tuis mereri voluisses, saltem non tam apertè aut alteram silentio, aut alteram (cuius auctor Cardinalis Legatus Papæ vbique audit) confessione sceleris prodidisses.

Iam & de Hussio magis proditorem, quam defensorem Pontificiorum agere videris. Impudenter enim nugari in tanto crimine, & euidenter, sibi ipsi contradicere, quidest ãliud quam causam prodere?

k *Vide Philippum Callimachum, Florentinum de rebus gestis huius Regis lib.3. & Æneam Syluium Epist.81.*

l *De principe. lib.2.cap.17.*

m *Disput: de fid.hæ: seruand. cap 7.num.16*

n *Vide Thuanum in historia anni.1572.*

o *Ad Lazarum Swendij, anno 1574. Febr.22.*

Vbi(inquis)nugatio? Primum cum *Saluum conductum* promissum, *iusticiâ semper saluâ*, ijs qui pro hæreticis habebantur, ita [p] interpretaris, vt tamen non obstante hoc conductu, mortis supplicio ob heresim condemnari possent, qui se concilio non nisi hoc cõductu freti stitisset. Quid enim ineptius, hoc conductu: vt promittat ijs qui hæretici esse præsumebantur saluos fore, nisi concilium ipsos ob heresim condemnaret? alias quidem exceptiones in solenni illo, *saluâ semper iusticiâ*, auctores quos laudas subintelligunt: hanc non nisi ineptissimè subintelligi innuit *saluus conductus* Tridentinus: vbi quod expressè additur, *vt religionis prætextu minimè puniantur*, non statuitur nouo exemplo, aut vt loqueris *cum derogatione iuris communis*, sed planè iure veteri & semper necessario. Altera nugatio quod in fuga Hussij, quam non ante manifesti periculi necessitatem attentauit, expirasse saluum conductum [q] clamites: quasi verò qui ob periculum aufugere voluisset, incolumis fuisset, nisi fugam periculi cogitasset. Tertia nugatio, quod peruersam finium & obiectorum potestatis Ecclesiasticæ ac Politicæ distinctionẽ precario sumens ([r] de qua supra satis diximus) hoc principio emendicato, potestatem Imperatoriam Ecclesiasticæ subordines: indeque colligas nec concilium fuisse obligatum, vt pacta & promissa inferioris magistratus (id est Imperatoris) rata haberet; nec imperatorem vt præstaret quod in ipso non erat: Nugatio hoc totum, non modo ob principij petitionem: sed etiam quia quicquid fiat hac speculatione, constat & Imperatorem cum approbatione concilij *saluum conductũ* pro-

p *Disput: de fid. c. 12. nu: 7. & in miscellaneis sæpe.*

q *Disput: c. 12 nu: 11. Miscell. qu: 9. nu. 6. Append. ad propositionem. 7.*

r *Supra ad Paradoxum quartum cap. 8. §. 3. & 4.*

promisisse: & concilium ipsum [f] verbis idoneis eundem ostendisse. Vnde etiam apparet, quomodo tibi ipsi *contradixeris*: cum & *saluum conductum* iure communi à concilio promissum confiteris, & alibi tamen diserte ais, [t] *patres Hussio nihil promisisse.* Sed & quarta quoque nugatio quod cum [u] Simanca confiteatur, & iure factum defendat, quia fides hæreticis data seruanda non est, *ideo hæreticos quosdam grauissimo Constantiensis concilij iudicio, legitima flamma concrematos, quamuis promissa illis securitas fuisset:* ad hanc confessionem auctoris apud vos classici, quam in aduersarij obiectione [x] proposueras, nihil omnino respondeas.

f Miscell. q. 5. nu 11. item in disput. ca. 12. nu. 3.

t Disp. cap. 12. nu 7.

u Tit. 46. nu. 52. de Catholicis institutionibus.

x Miscel. qu. 8. nu. 3.

§. 7. Vlterius de eiusdem huius Simancæ sententia ita tergiuersaris, ita etiam mentiris euidenter, vt nemo te in hoc crimine perfidiæ Pontificiæ, non præuaricatorem potius, & proditorem causæ quam tueris, quàm defensorem dixerit. Mendacium vnum, quod facias hunc Simancam statuere, fidem (puta tam priuatim quam publicè datam) hæreticis seruandam esse in licitis & honestis: id quod ex eo probas, quod dicat, *si fides hæreticis à Principe aut publica potestate data esset, exactè seruandam esse.* Atqui hęc verba & ipsa per se satis indicant, eum loqui tantùm de fide data *publicè:* & si cum præcedentibus comparentur, alium sensum plane nullum admittunt, nisi in licitis & honestis fidem hæreticis datam à publica quidem persona seruandam esse, etsi à priuatis datam (vt supra ostenderat) non item. Quorsum enim diceret homo amens, ad pœnam & odium hæreticorum pertinere, quod fides illis siue publicè siue priuatim

data in rebus illicitis atq; inhonestis seruanda non sit? quorsum hoc in pœnam & odium hæreticorum esse diceret, quod non minus Catholicis quàm hæreticis competat? Siccine nobis in interpretandis testimonijs, homo stupidissime, putas os oblini posse? Alteram audi circa eundem hunc Simancam, non minus manifestam imposturam tuam. *Accedit*, inquit, *quod cum hæreticis nullum commercium, nec pax vlla Catholicis esse debeat: quamobrem fides illis data, etiam iuramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra iura diuina & humana, nullo modo seruanda est: in malis promissis inquit Isidorus rescinde fidem.* Ex recepta apud vos sententia loquitur, pacem ad mutua commercia in toleranda libertate religionis Catholicis cum hæreticis eiusdem regni aut reipublicæ ratam esse non posse: vt quæ sit *contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra iura diuina & humana.* Vide in eandem sententiam multa apud [y] Conradum Brunum, quem hic Simanca sæpe testem laudat: hanc tu clarissimam huius Simancæ sententiam, quasi nobis stipitibus quouis responso acquiescendum esset, ita peruertis, ac si illa verba, *contra publicum bonum, contra salutem animarum, &c.* non continerent causam, cur nulla pax cum hæreticis eiusdem regni esse posset: sed potius limitationem: acsi pacem quidem eiusmodi cum hæreticis quæ sit *contra publicum bonum* & contra salutem animarum improbaret: etsi aliàs cum ijsdem initam de libertate religionis & mutuis commercijs habendis approbaret: ita doctor *Resolutus* lectorē in incertissimo relinqueret: in eo enim tota quæstio,

y *Libr. 3. de hæreticis capite 15. nu. 6 & seq. extat liber in Tractatibus illustrium iureconsultorum de iudicijs criminalibus sanctæ Inquisitionis.*

quæ

quæ pax *contra salutem animarum*, quæ *contra iura diuina & humana*, quorum nihil per tuam huius loci deprauationem definiret. Et quid ineptius, quam vt ita loquatur, quia cum hæreticis pax nulla, nullũ commercium esse debet, ideo fides illis data non quidem de quauis pace, & quouis commercio, sed tantum de ea pace, de eo commercio quod sit contra bonum publicum & salutem animarũ, etsi iuramento firmata sit nullo modo seruanda est. Sic certè loqui eum oportet, si tuam impudentem imposturam admittimus. Nec minus impudens circa eundem auctorem tergiuersatio tua: non modo in illa quam supra dixi nugatione: sed etiam iterum atque iterum. Verba Simancæ sunt, *ad hæreticorum pœnam & odium pertinet, quod fides illis data seruanda non sit*. Hæc verba [a] postquam ex aduersarij recitatione agnoueras, quasi scopulum defensionis tuæ ridiculus tergiuersator penitus defugis: Sed iterum tergiuersaris euidenter, cum satis defensum hunc Simancam de pace cum hæreticis violanda supponis: si doces velle eum, vt fides ijs semper in licitis & honestis seruaretur: addendum enim fuerat, eiusdem iudicio hanc pacem commercij esse licitam & honestam: id quod neque per veri euidentiam addere poteras (cum Simanca hoc constanter perneget) neque per tuam ipsius de hac re fluctuationem. Qui cum hoc [b] alicubi affirmas, certè

a *Miscell.q.* 8. *nu.* 3.

b *Disp. de fid. hær seru. ca.* 10. *nu.* 16. Si princeps vel magistratus Catholicus paciscatur cum hæreticis, de toleranda libertate religionis, quam sine maiore detrimento impedire non potest, sine dubio fides seruanda est: probatur ex dictis. Nam fides seruari debet in omni pacto licito & honesto: atqui licitum & honestum est tolerare libertatem religionis ad maius malum vitandum.

[c] Pontificios qui contra statuunt facis doctores perfidiæ: etiam inter eos teipsum : cuius in hac eadem disputatione de fide hæreticis seruanda, idque hoc eodem capite, numero tertio, & quinto expressa sententia est, *Libertatem fidei ac religionis planè illicitam esse, & Christianæ doctrinæ contrariam: etiam reipublicæ noxiam & periculosam: non modò quoad salutem animarum (de qua re,* inquis, *dubitari non potest) sed etiam quoad pacem & tranquillitatem Politicam*: vnde, cum vt idem [d] alibi doces, pactiones huiusmodi, vt illicitæ, nullo modo valere debeant, sequitur ex tua doctrina fidem etiam tum cum seruari debet, rectè violari.

§. 8. Pari incogitantia homo αὐτοκατάκριτος tibi ipsi contradicens, prodis causam quam tueris, de decreto Gregorij noni: de quo supra aliquid dixi : cum enim ex hoc decreto [e] fateris non esse seruandam fidem hæreticis post latam sententiam: & tamen [f] alibi profiteris pactū cum hæreticis, si nihil aliud obstat quā hæresis, debere integrè & sincerè seruari, nonminus quàm cum Catholicis: quàm misera hęc distinctio, quā ridicula euasio: [g] hæresis non obstat, sed sentētia iudicis hęreticū de hæresi condēnantis? dic similiter proditores non minus quā innocentes homines à carnifice tutos esse, quia non puniuntur præcisè (vt tuo verbo in hac quæstione vtar) quà proditores, sed quà iudicis sententia condemnati:

c *Simancam & Brunum de quibus supra: item Franciscum Burchartum in Autonomia, parte 3. cap.13. Iohannem Paulū Windeck in deliberatione de hæresibus extirpandis Ayalam de iure belli libr.1.ca.6. nu 8. Molanum de fide hæreticis seruanda lib.4. cap.7. sic Hosius Cardinalis in Epistolis ad Henricum Poloniæ Regem:* Nunquam (*ait*) patiaris vlla te ratione ad ea quæ promisisti pręstanda teneri, quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.

d *Contra Torturam Torti ad Paradoxum duodecimum & in disput. de fide sæpe.* e *Miscell. qu. 7: nu. 5, 6.* f *Disp. cap. 7 nu. 8.* g *Vt ca. 12. nu. 2. cum dicit* matrimonium validū esse, si nihil aliud obstat quam hæresis: *intelligit, nec sententiam latam contra hæreticū de hæresi, quicquam impedire quin matrimonium validū sit: ita etiam similiter intelligendum quod dicit de alijs pactis.*

quasi

quasi vero illud *sanguis eius super ipsum*, non satis doceat pœnam quæ iudicis sententiam sequitur, rectissimè ipsi crimini imputari. Sed & iterum huius constitutionis Gregorianæ iugulum petis, ipsumq; auctorē, perfidiæ auctorem facis: cum [h] ais, Gregorium hunc cum statuit hæreticis non deberi fidelitatem à subditis, constituisse *nouam pœnam in hæreticos sui temporis: quæ nec ex natura rei, nec iure diuino constituta, & determinata*: addis *hanc pœnā fuisse legitimè constitutam pro illo tempore*: quasi non aut ante, aut his nostris temporibus: cum [i] Catholici vestri hanc constitutionem etiam nunc valere velint. Et cur quæso, in hoc dogmate de subditorum absolutione à fidelitate erga Regem ob hæresim excommunicatum, agi de primatu Papæ ita multis contendit Bellarminus, si huiusmodi absolutiones iam non nituntur iure diuino? quomodo denique non erit reus perfidiæ, qui fidem iuramento firmatam, sine iuris diuini sine antiquitatis auctoritate neglexerit?

h *Miscel. qu. 7. nu 6.*

i *Vide Simancā de Catholicis institutionibus tit. 46, nu. 73.*

Satin? pœnitet quod nos ad libellulos tuos de fide hæreticis seruanda remiseris? an etiam adhuc plura desideras ex ijsdem auctoramenta perfidiæ? *Ut promissio in contractibus sit valida, requiritur* ([k] inquis) *vt velit & intendat se obligare*. Ita si quis quid sophisticè, & per æquiuocationem promiserit, reseruata apud se euasione & subterfugio (quod qui faciunt non intendunt se obligare) liber erit & solutus, non tenebitur præstare. [l] Nec nisi consulto & deliberatè promiserit: [m] etiam si vi aut dolo aut metu qui cadat in virum constantem (cuius modi videri possunt ferè omnes in bello induci-

k *Dispu. de fid. cap. 3. nu. 1.*

l *Ibidem.*

m *Ibid item cap. 11. nu. 5.*

arum, aut pacis conuentiones) non tenebitur. [n] Irrita etiam non obstante iuramento vis esse quæcunque promittuntur ei qui per legem ciuilem inhabilis fiat ad promissionẽ acceptandam: & quid si vt sępe, aut lex ipsa ciuilis aut legis interpretatio iniqua est? addis, iure ciuili *censentur contra bonos mores quæ prabent* [o] *occasionem peccandi:* ita cum longè plurima honesta & salutaria occasiones peccandi infirmis sæpe præbeant (nam & Sabbata & publici conuentus Ecclesiastici, & innumera optimè instituta hoc faciunt) vides, qualem non dico rimam, sed ianuam aut portam perfidiæ patefeceris: certè enim ex tua doctrina sequitur in his omnibus eum cui fiat promissio per legem reddi inhabilem ad acceptandum; sicque iuramentum reddi inualidum. Etiam contra bonos mores ea esse censes *quæ* [*] *adimunt libertatem disponendi de rebus suis:* & quod iuramentum, quod votum aut promissum de futuro non temerè conceptum, non adimit homini hanc libertatem? [p] *Qui promittit*, inquis, *securitatem, non censetur maiorem promittere quam præstare possit: si ergo facit quod in se est, non peccat contra fidem promissionis.* Parum certè hoc sanctè ad fidem: etsi enim nemo forte teneatur ad vlla impossibilia, peccat tamen vel grauissimè contra fidem iuramenti, quisquis iuramento se ad talia obligat: vnde etiam vetus Ecclesia, ijs quorum nuptias post votũ quod præstare non poterant [q] ratas habebat, pœnitentiam tamen non vulgarem indicere solita. Sed si non obligamur promisso, nec in ijs quæ in nostra potestate sunt, si adimunt nobis libertatem disponendi de rebus nostris: nec omnino in ijs quæ in nostra

n Cap. 4. nu. 8.

o Num. 7. ca. 2.

* Ibidem.

p Cap. 12. num. 4. & in Miscell. q. 5. nu. 3. vide etiam in disput. de fide ca. 14 nu. 9. obligatio inquit iuramenti tolli potest mutatione materiæ; vt si res iurata fiat impossibilis iurãti: item irritatione, vt quando materia iuramenti promissorij subest alterius potestati.

q Cypr. lib. 1. ep. 11 Augustinus de bono viduitatis ca. 9 Hieronymus ad Demetriadem. Epiphanius hær. 61. Theoph. in 1. Tim. 5

nostra potestate non sunt, quo tandem promisso de rebus futuris obligabimur? pergis ad perfidiam erudire acutus doctor: sic enim etiam [r] doces. Iuramentum, quod sine peccato præstari potest, posse etiam per iudicem Politicum legitimè relaxari, sine consensu promissarij: [s] addis & in pœnam promissarij, & ratione boni publici, relaxari à superiore posse eum, qui iurauerat: quod & inuito promissario, & in eo rerum genere, quæ sine peccato præstari poterant, necessario intelligendum: alioqui quorsum has adderes, quasi diuersas relaxationum species? [t] Promissio (inquis) aliàs valida desinit obligare, si res fiat inutilis: & cuius tandem iudicium erit, vtrum inutilis futura sit? nec promissarij (credo) nec promissoris: vterque enim in sua causa ineptus iudex: vides & hic quoque latebram perfidiæ. Addis etiam, si status rerum ita mutetur, vt promissor secundum iudicium prudentium, non videatur illum euentum voluisse comprehendere: quàm opus Cerbero ianitore ad hanc ianuam, ne intret perfidia? pergis, *frangenti fidem fides frangatur eidem.* Aliter nos docuit Apostoli [u] illud, μὴ γένοιτο, vt perfidia nostra faciat Dei fidem irritam. *Potest*, inquis, *vti compensatione*: regero tibi [x] tua verba: *an tu Christiani hominis esse putas in malo talionem reddere?* Non licet omnia persequi: [y] addis ex cultus disparitate inter fidelem & infidelem non baptizatum, dissolui fidem coniugalem: disertè credo contra [z] Paulum, qui fideli cum infideli contractum matrimonium ratum esse docet: vt fidelis coniux non nisi in casu desertionis liber sit ab infideli. Tandem ne forte vllum relinquas perfidiæ genus sine

r *Cap.4 nu.7. & sequ.*
s *Disput. de fid. hær. c.4. nu.9.*
t *Cap.9. nu.2.*
u *Rom.3.3*
x *Contra Torturam pa.2.*
y *Cap.9. nu.4.*
z *1. Cor. 7.13.*

sine patrocinio. Quod [a] Toletus & alij ex vestris docent, *cum iudex non iuridicè petit iuramentum, licere vti æquiuocatione, secundum mentem suam, contra mentem iudicis: vt, puta, quærenti, fecistine illud, respondeat, non feci: intelligendo intra se, non hoc tempore:* hoc quoque ad extremum de fide seruanda (id est de fide violanda) disputans, [b] tuo calculo approbas. Vbi etiam, ne hoc parum sit ad perfidiam, *Censetur,* inquis, *non seruare ordinem iuris, quando interrogat de occulto crimine, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena.* Eadem habes ad verbum [c] in responsione ad Aphorismos Iesuitarum: Ad quæ doctor Louaniensis Molanus, qui ante te, sed tuo spiritu, scripsit de fide hæreticis seruanda, quem tu auctorem sæpe laudas, addit: *si* [d] *Rebellis & hæreticus promissum aut iuramentum per arma extorqueat, æquiuocatione ei responderi posse: & aliud intendi quam intendat ille cui iuratur.* [e] *Si reus* inquis, *neget tale crimen à se perpetratum, non mentitur, si adhuc crimen occultum est.* Quid potuit dici audacius pro perfidia, pro mendacio? Et cur non igitur, in tam multiplici doctrina perfidiæ, simplicius rectiusque & tu, & Molanus tuus, libros vestros inscripsissetis, *de fide violanda?* Cur ita placet semper titulos contrarios præscribere? quasi verò ad fucum satis esset in titulo. Sic quoque Martyr vester Garnettus, cum vna cum Blackwello Archipresbytero, [f] librum quendam inscriptum de *Æquiuocationibus* approbaret, simplicitatem tituli improbans, etsi in libro ipso nihil reprehenderet, titulum tamen planè contrarium prę scripsit manu propria: vt diceretur, *tractatus*

contra

a *Instit. sacerd. lib. 4 ca. 21. & 22. vide doctissimam Thomæ Mortoni Decani Wintoniensis Apologiam Catholicam pro Protestantibus parte. 1. libr. 2. cap. 13. item eiusdem scripta Anglicana contra Personium & aliũ Anonymũ*

b *Appendice ad propositionem quartam.*

c *Ad Aphorismum vltimum.*

d *Libr. 1. c 19. sententia manifesta huius Molani Regulariter quidem non esse seruandam fidem datam hæreticis: etsi, vt in regulis generalibus, aliquis sit exceptioni locus.*

e *In appendice vbi supra.*

f *De quo in Actione contra Garnettum.*

contra mendacia & dissimulationes fraudulentas? tale credo tuum consilium in inscriptionibus tractatuum tuorum, ad quos vides quàm inauspicatò nos remiseris.

§. 9. Et cur non etiam remisisti ad illam, quàm dixi, responsionem ad Aphorismos, quos vobis dicis falsò impositos: vt ita etiam videremus, quomodo doctrinam Iesuiticam in [h] libro de iusta abdicatione Henrici tertij, & iterum in libro Iohannis Marianæ à patrocinio perfidiæ purgares? puduit credo huius responsionis: *vix pauculas*, [i] inquis, *horas ad aduersarij libellum confutandum habui*: an forte hoc ad gloriolam dixisti, quasi stans pede in vno, admirabilis αὐτοσχεδιαστής, mira quanta contra nos, alter Ennius dictites? an verò etiam, vt ille, *nunquam nisi potus ad arma?* nobis non ita licet quiduis temerè, aut *quod non multa dies, & multa litura coercuit*. Sed in responsione qualicunque illâ vbi obiectionem sententiæ Iesuiticæ in libro de abdicatione Henrici tertij diluendam [k] proponis, quia etiam additur eiusdem auctoris iudicio, rectè factum fuisse, qui & Henricum quartum occideret: arrepta hinc occasione, quasi oblitus Henrici tertij, ne verbum quidem de eius cæde facis: nec vtrum hæc cædes Iesuitis placuerit quicquam disputas: tantum de Henrico quarto nondum cæso pauca ad speciem & pompam instruis. De Iohanne quoq; Marianâ, non minus impudens tergiuersatio. Sed & mendaciorum maior impudentia. Cum enim tyrannus alius sit ratione tituli, alius ratione administrationis, de illo non de hoc à Marianâ intelligi vis, quæ statuit de tyranno occidendo [l] *hæc est* (inquis)

h *Obiectionem ex doctrina vtriusque libri vide supra §.3.&.4.*

i *In Epilogo.*

k *Ad Aphorismum 9. pag.102.*

l *Ad eundem nonum Aphorismum p. 10*

(inquis) *expressa sententia Ioannis Marianæ.* Aut oculos nobis, aut librum deesse oportet, vt hoc tibi credamus: contra enim res luce clarior: nam & Henrici tertij percussorem laudibus [m] effert, & postquam de eo qui ratione tituli tyrannus esset, paucis sententiam suam absoluisset, de altero genere à pagina 59 linea 5 editionis vestræ Moguntinæ, disputationem exordiens, de tyranno huius generis concludit, *si publici conuentus facultas sublata fuerit----qui votis publicis fauens eum perimere tentarit, haudquaquam iniquè eum fecisse existimabo.* Mitto plura in refutatione mendacij euidentissimi. Nec minus aut mendax, aut impudens, aut ridicula nugatio cum eundē, quia negat cibo aut poculis rectè immisceri venena, ideo etiam nulla in tyrannos veneficia [n] vis admittere: quid enim si neque cibo neque potu venenato tolli probat, dum [o] veste aut sella venenata tolli tyrannum disertè probat? etiam magis probat fraude & insidijs tolli quàm aperta audacia. Nec metuit [p] reijcere decretum Constantiense contra hæreticam sententiam Ioannis Parui Parisiensis. *Quilibet tyrannus,* (inquit ille [q] Paruus nomine, sed magnus ignominia) *potest & debet licitè & meritoriè occidi, per quemcunque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, non obstante quocunque præstito iuramento, seu confœderatione factis cum eo: non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunque.* Decretum concilij quo hæc sententia condemnatur extat sessione 15: *Aduersus hunc errorem satagens hæc sancta synodus insurgere, & ipsum simul funditus tollere: declarat & definit huiusmodi doctrinam erroneam*

m *Lib 1. de Rege cap. 6. pag. 53. editionis Moguntinæ vide Eudæmon-ioannem Iesuitam in Parallelo quem vocat Torti & Tortoris cap. 5 p. 227 vbi tantum abest ab hac impudentia Becani in excusando Mariana, vt culpam volens nolens fateatur.*

n *Ad Aphorism. vndecimum.*

o *Li. 1. c. 7. p. 67*

p *Cap. 6. pa 62*

q *Alias Petit doctor Theologiæ quem Iohannes Dux Burgundiæ excitauerat vt cædem Ludouici Ducis Aureliæ, fratris Caroli sexti, licitam defenderet.*

roneam esse in fide & in moribus : ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria, vias dantem reprobat & condemnat. Hoc decretum Mariana vester improbat : & in Mariana, qui eum publico testimonio ornant; Fr: Petrus de Onna magister Prouincialis auctoritate Regia ad librum hunc examinandum deputatus : & Stephanus Hoyeda visitator societatis vestræ in Prouincia Toletana : qui & prius approbatum à viris doctis & grauibus ex eodem vestro ordine testatur. Sed & Constantinus de Verona idē decretum improbat in Apologia Iesuitica : & tu quoque Becane, *(hos inter si te ponere fama volet)* hoc decretum improbas [r] cum profiteris in sententia Marianæ *nihil videre quod Caluinistæ possint reprehendere :* id est, teste concilio Constantiensi, nihil reprehendendum videre in doctrina: quę *vias det ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria* : addo, in doctrina, quæ duorum in Gallia Regum potentissimorum cædem indignissimam intra paucos hosce annos peperit.

r *Ad Aphorismum.9. pag.*100.

Cap.

CAP. XIX.

Becanus pa.37. Tortura pa.92.

Postremum Paradoxum notas, quod dicat Catholicos esse de prosapia Malchi, eo quod omnia audiant & interpretentur sinistrâ aure, nihil dextrâ.



EGregium Paradoxum, & tuo otio digna accusatio: vt qui maiora capere non potes culicem percôles, muscam venêris cum Domitiano: ipse non vno nomine instar muscæ. *Non laboro*, inquis: & mihi hic labor post seria facilis. ὡς ὅτι τέκνον πατρὸς ἴσχει μῦθον ἴδ' ἴδιν λέξει τῷ ὕπνῳ *Ait*, inquis, *Catholicos esse de prosapia Malchi.* Mutuabor pauca de tuo stylo, vt iniquitatem, & ineptiam ex tuo ore tuam testatam habeas. [a] *Semper hic erras* Becane, *nihil dixit de* Catholicis: *nec vos* Catholici e*stis, sed hæretici.* More suo, inquis *vel nugari pergit, vel contumeliam inferre.* Expectaram vt Paradoxi aliquid indicares: quàm cito mutasti genus actionis? non iam de Paradoxo accusabis: de *nugatione* tamen, aut saltem de *contumelia*. *Faciamus*, inquis, *esse quod dicit*, imo verò prius nos faciamus esse quod tu dicis. Ne sitis oriundi Malcho: vnde igitur? an ab Herode, qui putauit Christum in mundum venisse ereptum regibus Regna temporalia: ideoque pater Pontificiorum qui spiritualem potestatem, in Regnum temporale mutant, merito audit? an forte à Pharisæis, de quibus Iosephus, etiamsi tota gens Iudæorum fidem suam iureiurando

[a] *In quæstionibus Miscellaneis qu. 5 nu. 11. verba Becani:* semper hic erras Batauc: nihil dixi de Euangelicis: nec vos Euangelici estis, sed hæretici *vide supra cap.16.§.1.*

do obligasset Cæsari, & Regi, hos solum non iurasse, excedentes sex millium numerum? Nec enim de omnibus Pontificijs locutus Episcopus, sed de *vobis*: id est de ijs qui iuramento fidelitatis obtrectãt, de his, quia sic (credo) mauultis, esto vel vt oriundi sint potius de percussore Malchi, quàm de ipso: de percussore autem, non quà Petrus fuit, sed quà percussor: & qualis mox erat futurus ante Gallicinium. Sit verum de omnibus huius factionis *Guelphæ*, quod de nonnullis legitur apud [b] Magistrum Iordanem. *Præsules*, inquit, *Germaniæ non sunt illius vicarij, qui relicto sindone nudus aufugit, sicut Episcopi Italici: sed illius qui eduxit gladium, & amputauit seruo Pontificis auriculam dexteram: non amputauit ei pedem sed auriculam, vt ostenderet, quod ei caput libenter amputasset.* Erratum ergo fuerit in Genealogia vestra: & hoc nos docuisset Iohannes Castellus, qui cum Henrico quarto Gallorum Regi dentem excussit, non multum abfuit ab auricula: non percussit pedem neque tibiam, sed in caput aut iugulum inuolauit: dentem excussit: ostendens cupere se excussum ei & dispersum cerebrum: perfossum iugulum.

b *In Chronicis sub finem.*

Iam etiam, quoniam largiris liberaliter, accipiemus, vt sitis *de prosapia Malchi.* Addis *restitutam Malcho auriculam dexteram:* & nos quoque precamur vt vobis restituatur: sed cum *ideo restitutam* dicis *dexteram, vt nihil sinistrâ, sed omnia, quæ audiret, dextrâ interpretaretur*: conueniret quidem hæc glossa ad amussim, si simul atq; restituta dextera fuerat, statim ablata fuisset sinistra. Sed neque hoc pacto satis refertis progenitorem vestrum. Vis enim

enim ita vos esse de prosapia huius Malchi, vt restitutâ aure dextrà *nihil solis sinistris audiatis, aut interpretemini.* Et quid hoc ad Malchum, cui vis restitutam ideo dextram, non vt vtrâque aure aliquid, sed vt omnia dextrâ, nihil sinistrâ audiret? Sed bene tamen, quod fateris de vtraque aure: ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει. Sic enim est: etsi omnia sinistris, non tamen *solis sinistris* auditis, aures vestræ accusant alteræ alteras. Quod sinistre & maligne quis vestrum in nostrorum scriptis accepit, confitetur alius commodè & candide accipiendum: hic dextrâ accipit, quod ille sinistrâ. Sæpe idem oblitus sui quod sinistre acceperat, aliàs satis dextrè accipit. Ita, vt dicis, non omnia solis sinistris auribus accipitis. Ne mutes hanc tuam sententiam, vide sæpe mihi dictam, semper laudandam Protestantium Apologiam Catholicam: exempla inuenies innumera.

Sed habes tamen iocum ἀμοιβαῖον: *si vicissim luberet iocari.* Non es ita aut agrestis, aut merum rus, quin & facetiarum in loco venustus sis & leporum. vt lunæ cornua nunc hebetiora, nunc acutiora: ita cornutum ingenium tuum: pręsertim si foenum habet in cornu, caueamus. *Sed nolo*, inquis, *vobiscum sic agere.* Et tamen vt potes sic agis: figura elegante, quod agis, dicis te *nolle agere*: profers *iocum*, quem non *libet* tibi proferre: & quis coegit inuitum? *Iocus* incipit: *nos non esse de prosapia Malchi sed Iudæorum*: quid ergo non & Malchus Iudæus? nonne possunt vel maximè genuinè de Malchi esse, qui de Iudæorum sint prosapia? Sed *iocum* integrum, quem homo lepidus *nisi non luberet iocari*, habu-

habuisti in promptu, & tamen promis, audiamus, Iocus est, *nos esse de prosapia Iudæorum, qui aures habentes, non audiunt, & videntes non vident.* *Ioco* hoc dicis si tamen dicis: non enim seriò sic putas. Nec molesti nos vobis, quod non intelligamus, sed quod nimium intelligamus: nec ita aut addicti aut fatui, vt videntes vestras nequitias, imposturas, præstigias, non videamus, aut dissimulemus. Patefacimus enim palam: & ex glossa vestra, resipiscente mundo non iam amplius vobis de vtroque gladio contendendum clamamus. Addimus etiam in hoc *ioco* erratum à te turpiter in persona. Vos enim Pontificij, & præ cæteris Iesuitæ, in *cæca* vestra *obedientia*, indicatis genus vestrum, & prosapiam ab ijs qui videntes non vident, id quod sequitur loco proximo dicendum paucis.

Cap. XX.

Post Paradoxa transis ad sex contra primatum Regium argumenta, quæ ex Principijs Episcopi colligis. In transitu interim iam quintò idem conuitium inculcas quasi ad gratiam adulatoriè, non ad veritatem ingenuè & sincerè scripsisset.



Via semel (inquis) *propositum habet Regi adulari &c.* Stygius, id est odiosus hic transitus tuus: quem in vno hoc tam sæpe iam repetito, etiam mox iterum regerendo, conuitio, materia non voluntate conuitiandi destitutum facile agnoscimus. Dic verò: An tu, quicunque ex nostris regium in Ecclesia suæ ditionis primatum tuentur, omnes pro Regis

adulatoribus habes? Si non omnes: dic quid in Episcopo singulare animaduerteris: quod ita sæpe in eum (quasi canis ad vomitum rediens, & eundem sæpe reuomens) indignissimum hoc conuitium eructes: sin omnes habes vno ordine; dic qui ita omnia retorques, cur non æquè omnes qui Papalem primatum asserunt, adulatores Papæ? *Quia*, inquis, *semel ei propositum est Regi adulari, quicquid ei placere nouit, omnino tueri & approbare vult: hoc animo & affectu primatũ Ecclesiæ, quem Rex ipse sibi vsurpat,* hic quoque *propugnare ausus est*. Hoc animo & affectu, nimis quam audacter in arcana animi & affectus alieni te immittens, sine lucerna [a] καρδίαις ἐμβατεύειν. Vnde vis hoc tibi credi? an quia Iesuita es, id est Papæ ex voto addictitius? at addictitius eius cuius causa agitur, quomodo pro teste idoneo habeatur? an quia contrariam causam tueris? at aduersarij testimonium, ridiculum: an quia Martinus Becanus es? at *Martinus* hic ἁμαρταίνων, & *Becanus Peccanus*, iam sæpe compertus est: nec ita pridem totum hunc *Martinum Becanum*, perfidiæ, mendacij, periurij, doctorem, & patronum intelleximus. Certè nec obscurissimæ suspicionis vel leuissimum vestigium in Episcopo indicas, vnde non potius te conuitiatorem, quam illum adulatorem habeamus. Epistolam qua maiestatem Regiam honorificè præfatur, respice: alium longè spiritum, & viri in Ecclesia Anglicana egregij germanam vocem facile agnoscas: per totum etiam librum similem sui. Dum longam disputationem Regiam tuetur, vbi quicquam eorum quæ in more sunt adulatoribus? vbi excurrit ad laudes? vbi exclamat admira-

[a] *Nazianzenus.*

admiratione? vbi quicquam hyperbolicè exaggerat? vbi leuia, vbi errata si qua forte sunt, in cœlum effert? vbi denique ex plurimis laude dignissimis quicquam temere laudat? Ita nebulonum oportet esse fratrem germanum, qui huic viro cum primis ingenuo ad nauseam tam indignum conuitium faciat.

Teipsum iam, & Pontificios, & Iesuitas paululum vide. A Cambyse Persa consulti legum periti, non habemus, inquiunt, legem vllam quæ incestũ permittat: at habemus quâ Regi, quod libet, liceat: non potuit esse perniciosior adulatio: vestra est Pontificiorum ad Pontificem vestrum: Non habetis ius Pontificium, vnde Papæ errare liceat, vel de fide vel de moribus: habetis tamen vnde quicquid de dubijs fidei aut morum credendum definiuerit, quicquid illud fuerit, pro vero & indubitato, idque sub æternæ salutis periculo, habendum sit. Dogma [b] Bellarmini: *Pontificem vel solum, vel cum particulari suo consilio, siue errare possit, siue non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* Idem alibi, [c] *Catholici*, inquit, *omnes sensum suum sensui vnius Pontificis subijciunt.* Catholica (id est vniuersalis adulatio) palliata tyrannis: non vnitas, non pax: sed pactio miserrimæ seruitutis. Huic seruituti vt alij Pontificij minus (quanquam nimium quantum omnes) vos certè qui Religiosi vocamini, quàm arctissimè teneri profitemini. Vestra Religiosorum (id est fraterculorum & Monachorum) communis est omnium erga Præpositos incredibilis seruitus, & iudicij & voluntatis ad alienum arbitrium indignissima abdicatio: clara res & confessa ex voto ve-

b *De Pontifice lib. 4. cap. 2.*

c *Lib. 4. de Eccles. milit. ca. 7.*

ſtro obedientiæ, & ex veſtrorum ob hanc (vt putatis) perfectionem famoſis & ridiculis gloriationibus. Et quid quæſo hoc aliud, quàm abiectiſſima adulatio? Sed in hac communi ordinum Monaſticorum planè omnium profeſſione adulatoria, veſtra certe Ieſuitarũ ſingularis. Quibus à patre veſtro Loiola iniunctum, vt [d] omiſſis æmulationibus cæteris, in hac, vt vocat, *cæca obedientia celebri ſimplicitate*, omnibus ordinibus antecellere ſtudeatis. *In ieiunijs, in vigilijs*, alijſque huiuſmodi vinci vos à Franciſcanis, à Dominicanis, & ſimilibus facilè patitur: modò in cæca hac obedientia omnes vincatis. [e] *Statuatis*, inquit, *vobiſcum quicquid ſuperior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe: atque vt ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo affectuq; veſtro ſtatim incumbitis, ſic ad ea facienda, quæcunque ſuperior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine vlla prorſus diſquiſitione feramini. Perit*, [f] inquit, *celebris illa obedientiæ cæcæ ſimplicitas, cum apud nos ipſos in quæſtionem vocamus rectè ne præcipiatur an ſecus.* Nec approbare ſolum atque exequi ſuperioris mandata religioſiſſimè ſine contradictione, ſine murmure, ſine diſquiſitione, ſine examine tenemini: ſed etiam *defendere*: *vt* (inquit) *quod ſuperior mandat vel ſentit, defendere ſemper apud animos veſtros ſtudioſe nitamini*: ne perſuadere quidem ſuperiori vt id velit quod ipſi vultis: aut vt ea quæ vobis iniuncta malletis iniungi per eandem Ignatij veſtri Epiſtolam licet. Et quia in facinoribus ſæpe expedit, vt reſeruetur mandanti defenſio, ſi quid forte infeliciter præter ſpem ſucceſſerit: ideo non ſolum ad expreſſa mandata, ſed etiam ad alia

d *Vide Epiſtolam Ignatij in calce regularũ ſocietatis Ieſu. numero. 3.*

e *Ead. epiſt. num. 18.*

f *Eadem epiſt. num. 12.*

g *Num. 8.*

alia signa voluntatis superiorum, iuramento obligamini. *Licet*, [h] inquit, *nihil quàm signum voluntatis superioris, sine vllo expresso præcepto videretur.* Quis [i] Ianizarius magis ad Imperatoris Turcici, aut potius quis canis magis ad nutum Domini? Quanquam quid dico canem? (qui tamen adulatorum archetypus est) ita vos moueri oportet ad nutum alterius sine proprio iudicio aut sensu, *vt cadauer mortuum* aut *baculus senis*. *Quisque*, inquit, *sibi persuadeat eos qui sub obedientia viuunt se ferri ac regi diuina prouidentia per superiores suos sinere debere perinde ac si cadauer essent, quod quoque versus ferri, & quacunque ratione tractari se sinit: vel similiter atque senis baculus, qui vbicunque & quacunque in re velit, eo vti, qui eum manu tenet, ei inseruit.* Satis hæc, & quæ multa alia habes apud [k] Batauum, indicant Parenthesin illam quę in tam prolixis cęcę obedientiæ præceptis alicubi quasi limitatio inseritur, *vbi peccatum non cerneretur*, dices tantum causa, & ad amouendam inuidiam, non ad præceptorum limitationem inserciri. Quod enim peccatum ab ijs cerni concedit, quos *cæco impetu & cæca obedientia* ferri præcipit: quos alienâ animâ instar *cadaueris*, aliena manu instar *baculi* moueri iubet: quibus denique [*] resignationem propriæ voluntatis & iudicij imperat? Nec in executione solum aut voluntate, sed in intellectu obediendum ingeminat: vt [n] *omnia* quæ superior imperauerit *iusta esse sibi per-*

h *Par. 6. Cōstitutionū Ignatij (in quas Iesuitæ omnes iurāt) capite. 1. §. 1.*

i *Nota non sine iusta causa Arnoldum (de quo apud Gallobelgicum tom. 2. l. 20) cum ab Academia Parisiensi designatus litem Iesuitis intenderet, articulo secundo ijs obiecisse, eos eiusmodi votum suscipere obediendi suo Generali, vt si dixerit interfice Regem, eundum sit.*

k *In Apologia pro Christiano Batauo contra Miscellaneas huius Becani questiones pag. 50 & sequentibus.*

l *Constitut: parte tertia cap. 1. §. 23. similem quoque clausulam de exceptione peccati manifesti semel habet in Epistola ad fratres Lusitanos nu. 18.* * *Constit: Ignatij parte 3. cap. 1. § 23.* m *Constit: parte 6. cap. 1. §. 1. & in Epistol: num. 21: voluntatem & iudicium vestrum expugnare & subijcere.*

ſuadeant: omnem ſententiam ac iudicium ſuum contrarium cæca quadam obedientia abnegent, atque expugnent. [n] vult enim in obedientia veſtra totū hominem quaſi in *Holocauſto* offerri: ideoque in ea integram quandam renuntiationem veſtri, *per quam omni ſuo iure ſponte decedit religioſus, vt diuinæ prouidentiæ Superioris ductu, gubernandum ac poſſidendum vltro ſeſe abdicet ac mancipet:* vnde colligit, negari non poſſe, quin hæc obedientia, *comprehendat non ſolum executionem, vt imperata quis faciat, & voluntatem vt libenter faciat: ſed etiam iudicium vt quæcunque ſuperior mandat ac ſentit, eadem inferiori & recta & vera eſſe videantur: quatenus vi ſua poteſt voluntas intelligentiam flectere* [o] exempla vt ſcis proponit *eius qui aridum lignum, tanto ac tam diuturno labore per annum irrigauit: ſaxumque ingens quod ne multi quidem ſimul homines impellere potuiſſent tam ſeriò conatus eſt dimouere:* tum & alterius *qui mandato ſuperioris lacum ingreſſus, nec merſus eſt.* Nec ſuperioribus modo veſtris hoc pacto miſeri obligamini: ſed & ipſi Superiores eadem obligatione Papæ, & in ijs veſtrum vnuſquiſque. *Hæc*, inquit [p] Ignatius, *Quæ de obedientia diximus, æquè priuatis erga proximè ſuperiores, atq; Rectorib⁹ Præpoſitiſq; localib⁹ erga Prouinciales, Prouincialib⁹ erga generalē, Generali denique erga illum quem Deus ipſi præfecit, nempe ſuum in terris vicarium, obſeruanda ſunt.* Sed & ſpeciali voto, quod quartum vobis votum ſolenne eſt; eundem in finem Pontifici obligamini. Hoc votum declamatio pro Ieſuitis, quam ſub nomine Regis Gallorum Henrici quarti in Miſcellaneis tuis quæſtionibus integram tranſcribis, *eò tantum*

ſpectare

n *Epiſt: Ignatij num. 9.*

o *Num. 18.*

p *Epiſt. prædicta num. 20.*

q *Pag. 73. ad quæſtionem 7.*

spectare q vult, vt parati sitis, cum Pontifex vestra opera ad conuertendos infideles vti voluerit. Sed non minus Papæ, id est, ambitiosissimo Regum Christianorum contrario, quam ceteris Superioribus vestris, arctissima cæcæ obedientiæ religione, obligari vnumquemque vestrum, docet scala seu potius Catena illa quam verbis Ignatij iam proposui: qua quasi compede chalybea & adamantina, tyranno ambitiosissimo obstricti tenemini. Docet etiam *formula Instituti* vestri apud Ribadeneiram, r in diplomate Iulij tertij: vbi non modo de missionibus (quas dicitis) obedientia Pontifici voueri dicitur: sed etiam vt *exequi teneamini quicquid modernus & alij Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum* (notum autem quam latè hoc pateat Pontificum iudicio) *& ad fidei propagationem pertinens.* Docetur denique hoc idem & disertissimè, ex eo quod alibi idem Ribadeneira de eodem hoc Ignatio, cum primum societatis confirmationem a Paulo tertio peteret, *Per Gasparum*, inquit, *Contarenum Cardinalem propositum suum & sociorum* (Pontifici) *significauit: se suosque, ipsius Pontificis successorumque obedientiæ, se penitus totosque deuouisse: & paulo post, quorum quidem religio Clericorum Regularium esset, institutum vero vt summo Pontifici ad nutum præsto forent.*

r *De vite Ignatij li. 3. c. 21.*

s *Lib. 2. de vita Ignatij. c. 19.*

Ita cum in eo omnes ordines Monastici obnixè laborent, vt Papatui augendo ac vindicando inseruiant, vestra hic addictio quam ceterorum longè abiectior atque seruilior: si eundum illis Papa iubente, vobis currendum: si currunt illi, vobis præcipitandum, illis iter quocunque miserit, per mare,

 per

per terras, vobis per tela per ignes: illi pedem osculabuntur, vos lingetis puluerem pedis: illi magna omnia Papæ prædicabunt, vos omnia ingentia: illis à Papa appellare ad concilium non licebit, vobis ne ad deum quidem: illis à Papa appellare hæresis erit, vobis blasphemia, sacrilegium, atheismus. Age iam & Episcopo grauissimo adulationis crimen affinge, homo è seruilissimorum & addictissimorum grege, & nobis omnibus, quasi videntes non videamus, crimen voluntariæ cæcitatis obijce, homo de genere eorum quorum cæca Pontifici & superiorib' nescio quibus, deuota obedientia (quasi Nahasi Amonitæ mandato ad Iabesitas) iam dudum oculum dextrum eruit: etiam vt [t] Zachariç prophetiam de idolo & inanimi (vel vt vestro verbo vtar cadauere) pastore adimplesse videamini. *Non quærit amissum, non sanat ægrotum, non pascit sed lacerat & manducat*: sic tacitis etiam vos pastorculi, quod de maximo depastore dixi Bellarminum & Baronium nos admonere, [u] cum illud, *surge Petre occide & manduca*, pulchre ad Papam applicant. Sed cum additur apud Zachariam fore vt *oculus ei dexter cæcutiat*, de quibus potius intelligamus quam de ijs qui cum huic depastori haberi volunt instar oculi dextri, eiusdem tamē in gratiam (quod indignissimū est) [x] cæcutiunt: dum cæcam eidem obedientiam & voluntatis & iudicij abdicationem profitentur. Vestrum hoc totum est: ex professo, ex voto vestrum Iesuitarum. quasi lapis in solidum coniectus, ita in Episcopum nostrum crimen adulationis, in nos Protestantes crimen voluntariæ cæcitatis à te coniectum, in teipsum & in tuos redundat: tui

t *Zach. 11. 17.*

u *Vide c. 9. §. 2*

x *Imperfecta obedientia (inquit Ignatius referente Ribadeneira. l. 5. cap. 4.) malè oculata est, perfecta, sapiēter cæca: illa ita paret vt iudicium suum de imperatis rebus sibi seruet: hæc iudicium proprium non habet.*

tui sunt in cæca obedientia, non nostri in pertinacia qui *videntes non vident*, vt qui alienis non suis oculis videant, alienis non suis auribus audiant, suam y intelligentiam deponant, abdicent, expugnent: alienam (z etsi consilio & prudentia minus valeat) suam faciant. Ipse adeo (vt a tua tibi verba penè integra reponam) *quia semel propositum tibi est Regi tuo* (id est Papæ) *adulari, quicquid illi placere nosti, omnino tueri & approbare vis*, pergo tuis verbis: *hoc animo & affectu, primatum Ecclesiæ, quem ipse sibi vsurpat* (in oppugnando Regio primatu) *propugnare ausus es: sed infelici sane euentu: dupliciter enim peccas in hoc genere: primum quia* grauissima quæque (refutationem pollicitus) prætermittis: *quod tamen*, non *per imprudentiam à te factum est*, sed per impudentiam: *deinde quia quæ affers* contra *primatum Regis, tam parui momenti sunt, vt causa tua abeat in contemptum. Quod ad prius attinet* vide supra initio ostensum: posterius sequentia tibi ostendent.

y *Puta omnibus dubiis & in omnibus manifestis in quibus cæca & baculari obedientia non est manigestum peccatum.*

z Epist: Ignatij nu: 3.

a Pag. 40.

Cap.

CAP. XXI.

a Pag. 41.

Argumentum primum, ex Episcopi nostri principijs contra Primatum Regium [a] *sic instituis.*

Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam: nec in foro interiori, nec exteriori.

At Rex, ex doctrina Episcopi, *nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam, nec in foro interiori, nec exteriori.*

Ergo non habet Primatum Ecclesiæ.



Aior (inquis) *per se nota est: quia nomine Primatus Ecclesiæ nihil aliud hoc loco intelligimus, quàm supremam iurisdictionem Ecclesiasticam.* Nihil ineptius definitore Becano. Quàm multa enim & nostri in primatu Ecclesiæ agnoscunt extra iurisdictionem, & tui? Potestas indicendi conuentus Ecclesiasticos, confirmandi Canones, designandi Episcopos, dandi denique cognitores qui in Appellationibus iudicent, & ab ipsis etiam Episcopis rationes officij præstiti aut neglecti exigant, quam hæc intrinseca & (vt dicimus) essentialia primatui Ecclesiæ, & à nostris agnoscuntur, & à tuis? Nec tamen horum quicquam nisi obtorto collo, & quasi inuitum ad iurisdictionem reuocaueris. Quid vero illa, quæ à vobis adijciuntur, Canonizatio sanctorum, Indulgentiæ, Decisiones authenticæ con-

controuersiarum de rebus fidei, votorum, legum, iuramentorum, ex plenitudine potestatis Relaxatio, in genere iurisdictionis quomodo comprehendentur? Sed quia de rebus, non de verbis contendimus, vocetur sane vt vis *iurisdictio Ecclesiastica* quicquid in quæstione de primatu Ecclesiæ controuertitur: etiam *fori exterioris iurisdictio* vocetur. Sic enim vocas in Prolegomenis contra Regem: vera quidem erit hoc sensu maior propositio: sed minor falsa: habebit enim Rex hoc sensu externam iurisdictionem Ecclesiasticam. Vide verò iam ineptiam tuam: in maiore propositione *iurisdictionem Ecclesiasticam* quàm latissimè accipis ex sensu tuo: eandem strictè in minore ex sensu Episcopi: atque ita præclarum fructum ambigui quem notant [b] rhetores vt aliquid dicere videare, cum nihil dicas, abunde tuo more percipis. Constat enim ex Episcopi dialecto, id est ex more dicendi vsitato, quatuor illa quæ dixi primatus maximè propria, in genere *Iurisdictionis* minimè comprehendi: tu tamen, quia tuo sensu *iurisdictio* totum primatum comprehendit, satis habes vt si alio sensu *iurisdictionem Ecclesiasticam* Regi negat, etiam primatum neget. Tu quomodo loquare parum interest: de Episcopo, vt pateat regium ab eo primatum euerti, duo tibi hoc loco docenda fuerant: alterum *Iurisdictionis* vocem ab eo sic accipi (ab eo inquam, non à te solum, aut ab alijs) vt sub genere Iurisdictionis totum Primatum comprehendat: alterum, nullam ab eo huiusmodi Iurisdictionis Ecclesiasticæ partem regibus concedi. Maxima difficultas de priore, de quo id modò mones, tuo quidem sensu aut alio-

b *Aristo. rhet. libr. 3.*

rum

rum forte nescio quorum, sic accipi vocem *Iurisdictionis*, vt sub hoc genere comprehendatur quicquid de Primatu Ecclesiæ controuertitur: sed quid hoc ad rem tibi, cui docendum etiam Episcopi nostri sensu sic accipi? vt enim ex eo quod Ecclesiasticam in Rege Iurisdictionem non agnoscat, probetur etiam Primatum Ecclesiæ Regi eripere, docendum tibi necessariò, Iurisdictionis vocem ab eodem (non à te modò aut tuis) sic accipi, vt totum Primatum sub hoc genere comprehendat. Ita quæ habes multa per tres ferè integras paginas, ad minorem confirmandam, otiosa omnia. In Maiore quam negligis & quam præsumis *per se notam*, tota difficultas. Negamus ex sensu Episcopi nostri, verè supponi, cui nulla sit iurisdictio Ecclesiastica, ei neque Primatum Ecclesiæ competere. Cui enim quatuor illa competunt, quę modò proposui (quorum si propriè loqui volumus, ne vnum quidem ad iurisdictionem reuocari debet) eidem & Primatus Ecclesiæ & suprema in omnibus causis Ecclesiasticis gubernatio competit. Quis enim (vt exemplo rem doceam) in statu Democratiæ ciuilis, vbi populus de nulla causa ciuili ipse cognoscere posset, aut ius dicere, sed tantum (vt loquuntur) dare iudices & iubere alios iudicare, & rationes à iudicibus exigere: hinc concluderet, supremam in rebus ciuilibus potestatem in hoc statu non esse penes populum, vtcunque etiam in ferendis legibus, in designandis magistratibus, ceterisque quæ ad suprematum pertinerent, præcipua potestas penes populum resideret? Eodem planè modo & in iurisdictione Ecclesiastica se res habet. Quanquam ad Primatum

minatum Ecclesiæ potestas in rebus religionis minus absoluta, quam quæ ad supremam Maiestatem in rebus ciuilibus requiritur. Et tamen etiam in rebus ciuilibus Iureconsulti, non tam *Iurisdictionem*, quàm *Iuris ditionem* faciunt signum suprematus. *Iurisditio*, inquiunt, *siue potestas Iuris, non est apud iudicem qui habet iurisdictionem, sed apud solum principem*. c *Iohannes Caluinus in Lexico Iuridico.*

Satis hæc superque ad responsionem: vides enim maiorem quo sensu ab Episcopo sumitur Iurisdictio (& hoc certe sensu tibi hic de eius sententia loquendum) & falsam esse euidenter, & pro nota & manifestè vera à te sumi impudenter. Sed quia supremam Iurisdictionem Ecclesiasticam cum suprema potestate Ecclesiastica hoc loco[d] confundis, vt cui Iurisdictionem Ecclesiasticam negemus, eundem & *Potestate omni Ecclesiastica & Primatu spirituali spoliemus*: ne semper hic erres, memineris (id quod & supra significaui non semel) *Ecclesiasticam* seu *spiritualem potestatem* dupliciter dici: vel significatione latiore & generali, vt potestatem omnẽ in causis Ecclesiasticis, seu spiritualib⁹ cõprehendat: vel significatione strictiore & speciali, vt nihil aliud sit, quàm *potestas quædam sacerdotalis*. Priore significatione si accipis negamus consequi, vt si non habet Iurisdictionem Ecclesiasticam seu spiritualem, nec potestatem habeat, nec Primatum Ecclesiasticum seu spiritualem. Posteriore modo si accipis (quomodo fateor magis propriè accipi) concedimus Regem, vt qui sacerdotalẽ (id est sacerdotis) potestatem nullam habeat, nec primatum hoc sensu nec omnino potestatem *spiritualem* seu *Ecclesiasticam*

d *Becanus pa. 43 post quam id egerat vt doceret Regem non habere Iurisdictionem Ecclesiasticam*, Vide nunc (*inquit*) quid acturus sit cum Rege: qui per tuam doctrinam omni Ecclesiastica potestate spoliatus est: & reuoca illa tua verba, quæ scripsisti pa. 90. primatus spiritualis debetur regibus omni iure.

asticam habere, sed tantũ *quoad spiritualia quoad Ecclesiastica.* Supremi enim in quoque genere gubernatoris (ut alicubi iam supra monui) non est exequi singulorum officia, sed curare vt suum quisque officium exequatur: vtque in supremo gubernatore in rebus coniugalibus, non requiritur vt potestatem habeat coniugalem: ita nec in supremo gubernatore in rebus sacerdotalibus, requiritur vt habeat potestatem sacerdotalem. Vtque in alio quouis rerum genere, facultatis & potestatis denominatio (etsi ab obiectis aut fine non absurde ducatur) potius à medijs ducitur, per quæ operatur: ita in potestate Regia circa res religionis, etsi finis, & sępe obiecta, non minus quàm in potestate sacerdotali spiritualia sint, tamen quia non operatur, vt sacerdos, *per media spiritualia*, ideo ipsa quidem potestas, si proprie loqui volumus, non tam *spiritualis* dicitur, quàm *circa spiritualia.* Nec primatum *spiritualem* (vt tu iam secundò malè recitas) dixit Episcop⁹ deberi regibus omni iure, sed primatum *quoad spiritualia*,[e] vt suo loco iam supra monui. Non loquũtur forte tam cautè ne nostri quidẽ: nec refert multũ: est enim verbi controuersia, *vtrum omnis potestas in causis Ecclesiasticis seu spiritualibus dicenda sit Ecclesiastica seu spiritualis.* De re certè quod dixi, cum negas eum habere potestatem Ecclesiasticam (aut primatum spiritualem) qui non habeat spiritualem seu Ecclesiasticam Iurisdictionem, si generali significatione intelligenda potestas Ecclesiastica seu spiritualis, vt comprehendat omnem in rebus Ecclesiasticis seu spiritualibus potestatem, constat falsam esse hanc propositionem: sin autem speciali, quam dixi

[e] *Ad Paradoxum 2.*

dixi, significatione sumenda est pro potestate sacerdotali, constat nihil contra nos inde concludi: Regi enim (hoc sensu) neque primatum neque omnino potestatem spiritualem aut Ecclesiasticam tribuimus.

De minoris tuæ propositionis probatione, quam docui iam omnem superuacaneam fuisse (cum in Maiorę quam præteris tota difficultas sit) nihil opus multis verbis. Si quid hic agere voluisses seriò, probandum tibi fuerat iurisdictionem Ecclesiasticam, prout totam primatus Ecclesiastici potestatem complectitur, ex Episcopi doctrina, Regi omnem denegari. Nihil apud te huiusmodi[f] primum de iurisdictione fori interioris in peccatorum absolutionibus satagis: & quid hæc ad propositum quam siue habeat Rex, siue non habeat, nihil prorsus ad primatū? Quanquam tibi quidē non recte, aut cum vestris principijs satis consonanter, hæc potestas absoluendi & remittendi peccata hîc & alibi vocatur *iurisdictio*. Quæ enim ad sacramenta pertinent, à teipso alibi referuntur ad potestatem *ordinis*, & à potestate Iurisdictionis, etiam interioris segregantur. [g] *Solet*, inquis, *distingui triplex potestas Ecclesiastica: vna ordinis altera iurisdictionis interioris, tertia iurisdictionis, exterioris: prima refertur ad sacramenta, &c.* Ita cum internam iurisdictionem, quam *consistere* vis *in potestate remittendi peccata*, à potestate ordinis, quæ circa sacramenta versatur, diuellis: nonne & potestatem hanc à sacramentis separas: atque ita non modò [h] Bellarmino contradicis, qui illud *quorum peccata remiseritis*, refert ad potestatem *ordinis*: sed & septenarium vestrum sacramentorum

f *Bec: pag. 41 Non internam: hæc enim consistit in potestate clauium seu potestate remittendi peccata in foro conscientiæ, &c.*

g *Contra Regem pag. 18.*

h *De Pontif: lib. 1. cap. 12.*

cramentorum numerum manifeſté mutilas? Nec multò certè cautiùs, quod addis hoc loco: *Internam iuriſdictionem Eccleſiaſticam conſiſtere in poteſtate clauium.* Quis enim diceret hominis naturam conſiſtere in eo quod ſit animal, aut iuſtitiam in eo quod ſit virtus: aut omnino ſpeciei naturam conſiſtere in notione generis? Non enim credo dixeris in illo, *Tibi dabo claues*, nihil promiſſum niſi iuriſdictionem fori interioris: ſi dixeris, actum de papatu: itaque fatere te ineptum definitorem, qui ſic explices, in quo conſiſtat interna iuriſdictio. Sed & iterum ineptum fatere, cum *ais in poteſtate clauium ſeu in poteſtate remittendi peccata.* Eâdem enim ratione hic quoque genus cum ſpecie non minus ridiculè confunditur, quàm ſi diceres *in mundo, ſeu in Moguntia.* Quæ ſequuntur verboſè de iuriſdictione fori exterioris, quam ab Epiſcopo intelligi vis de ſola poteſtate excommunicandi, dixi iam ſupra cur nihil contra nos faciant: Maiorem enim tuam ſi iuriſdictio Eccleſiaſtica fori exterioris hoc ſenſu ſtrictiore accipiatur pernegamus. Nec abſurde (vt docui) primatus Eccleſiæ ei cõceditur, cui Iuriſdictio Eccleſiaſtica fori exterioris (hoc modo intellecta) non competat. De triumpho miſelli hominis in Regem potentiſſimum, quo & hunc locum & pleroſque alios claudis μεγα νηπιος: dignus es audire quæ nolles. *Vide nunc* (inquis) *quid acturus ſis cum tuo Rege:* & loco proximo, *vide quo pacto ſalues hic tuum Regem:* & ſub finem loci de argumento tertio, *vel certè veſtrum Regem à meta aberrare:* & poſtremis verbis quę habes ad argumentum quartum, *hic tu ſuccurre illi ſi potes:* & poſtremis

mis itidem verbis ante Epilogũ, *potius ad tyrannidem vel impietatem spectare dixerim* (mitto verò & alia, quæ notaui supra suis locis) murem mihi videor hic passim Homericum audire, gloriabundum: ἐν δίδ' ἀνθρώποισι, καίπερ μέγα σῶμα φέροντα· ἀλλ' ἐπὶ λέκτρον ἰὼν, ἄκρον δάκτυλον κατέδακνον. Quod enim de huius loci, quem hactenus tractaui, gloriatione satis apparet, idèm & de ceteris suo ordine apparebit, omnes esse muris ridiculi.

Cap. XXII.

[a] *Alterum, inquis, nec minus* (addo etiam nec magis) *efficax argumentum est huiusmodi.* — a *Becanus, pag.* 43.

Is non habet Primatum Ecclesiæ, qui neminem, quantumuis reum ac nocentem, potest expellere ab Ecclesia: & tamen ipse, si nocens sit, ab alijs expelli potest.

At Rex, iuxta Episcopi nostri *doctrinam, neminem quantumuis, &c.*



Aior falsa. Ratio est: quia satis est Regi ad primatum in causis excommunicationis, quod habeat potestatem cogendi eos, penes quos est excommunicatio, vt officium faciant. Nec [b] exemplum, quod affers de suprematu Politico, quicquam hic te adiuuat. Potestas enim humana (vt iam sæpius dixi) multo magis absoluta est in rebus ciuilibus, quàm in rebus Ecclesiasticis: ideo-

b *Bec. pag.* 44. *Maior certa est, & patet simili exemplo. Nam sicut is non censetur Rex, qui neminem quantumuis flagitiosum, potest è Regno proscribere, & tamen ipse ad alios si deliquerit proscribi & in exilium mitti potest: ita plane se res habet in nostro casu.*

que etsi Rex forte non sit, qui neminem potest è repub: eijcere, cum ipse tamen ab alijs possit eijci: Ecclesię tamen supremus in terris Gubernator esse potest, in quo ita se res habeat quoad eiectionem ex Ecclesia. Id quod eo etiam magis constare debet: quia ius quidem ciuis ad societatem ciuilem, in potestate Regis fundamentum, & radices habet: ideoque non nisi per potestatem Regis è societate ciuili eijcitur: Christiani autem hominis ius ad societatem Ecclesiasticam, non fundatur in supremo terrestri gubernatore Ecclesiæ: sed in eo quod per baptismum Christo capiti vniatur. Ideoque non auctoritate supremi gubernatoris terrestris, sed auctoritate Christi (quæ penes eos residet, qui in nomine Christi legatione funguntur) ab huius societatis fructu separandus est, quicunque ab eodem separatur. Ad hæc, qui è republica eijcitur in exilium, ex vna eijcitur, non ex omnibus rebus publicis: ideoque ciuem è rep: eijcere potest, qui nullum habeat cum exteris communis & in vnam quasi vim coalescentis potestatis consortium: at qui ab Ecclesiæ particularis communione legitime segregatur, omnino à totius visibilis Ecclesiæ communione segregatur: ideoque ei qui Christianum hominem ab hac communione segreget, parum est vt instructus sit potestate, quæ in vna particulari Ecclesia vim suam habeat: nisi etiam communem totius visibilis Ecclesiæ potestatem, quæ vbique vim obtinet pro suis finibus sibi commissam participet.

Dissolutâ (vt vides) vi argumenti tui, restat vt quæ obiter, aut in excursione, qua claudis hunc locum peccaueris, paucis audias. Primum dum supponis

ponis ad Regiam potestatem requiri, non modò vt possit alios eijcere, sed vt ne possit ipse eijci è republica (sic enim sonant verba maioris tuę, nisi posteriorem clausulam plane otiosam esse volueris) quàm gratum futurum hoc sit Monarchomachis vestris, quos [c] supra docui multipliciter tibi in hac re contradicere, etiam, quàm conueniat cum tuo illo, [d] *Reges Christiani si delinquunt deponi possunt à Pontifice*, ipse videris. Nam quod excommunicationem non rectè exponas, quasi idem sit, quod eiectio ex Ecclesia, & quàm iniqua sit excommunicationis comparatio cum exilio, [e] supra etiam ostensum est satis. Ibidem etiam notatus alius error tuus, qui hic quoque occurrit, quod Episcopi sententiam eam esse præsumas, vt putet excommunicationem vel æquè liberè pronunciari posse, vel æqualem omnino efficaciam habere, in Regem, atque in quemcunque priuatum: cur contra sentiamus rationes [f] semel exposui. Nam quod & [g] alibi, & hoc loco iterum somnium tuum pro Episcopi sententia nobis obtrudis, quasi [h] Papali excommunicationi Regem magnæ Brittanniæ subijciat, singularis in manifesto mendacio impudentia est: quid enim impudentius, quàm cum verba recites, *potest forte Pontifex*, ex ijs inferre quasi absolutè dixisset, *potest Pontifex*. Nescis ex libro περὶ ἑρμηνείας, in *contingente*

c *Cap.18.*

d *Pag.23.*

e *Cap. 13. sub finem.*

f *Ibidem.*

g *Pag.29. alibi (inquit) dicis Regem tuum à Papa excommunicari posse.*

h *Becanus pag.45. postquam ex Torturæ pag.39. verba illa potest forte Pontifex, &c. recitasset*, fateris (*inquit*) vt ex citatis verbis patet Regem à Pontifice excommunicari posse: ergo etiam fateri debes Regem in hoc casu inferiorem esse Pontifice: At Rex tuus in Monitoria præfatione id negat his verbis. Neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credo, pace illius dixerim. Si nulla ex parte inferior est quomodo excommunicari, seu puniri ab eo potest? Vide quo pacto salues hic tuum Regem.

affirmatiuâ contingentem negatiuam contineri? Ita qui dixit *forte potest*, dixit etiam *forte non potest*. In quæstione de iuramento fidelitatis, vt sæpe monui, Primatus Papæ ponitur, non conceditur: hinc illud *potest forte Pontifex*, non, dubitantis, sed supponentis, ne ad aliena digrederetur: sic quoque illud quod ibidem additur, *priuabit censura Pontificis societate fidelium*: vbi similiter ex suppositione loquitur, quasi cedens suo iure, & liberaliter agens. Nec tu hoc in Prolegomenis contra Regem dissimulare satis callidè poteras: vbi hunc eundem locum ex Tortura recitans, vt probares Episcopum, potestatem Regis excommunicandi, Papæ facere: fateris *addi ab eo particulam forte*, vnde quasi oblitus quid hinc inferendum tibi proposuisses, concludis: hinc tamen sequi, pro articulo fidei apud Episcopum nostrũ minimè haberi, quod Papa sit Antichristus. Ita agnoscis, ex hoc loco colligi non posse, quod tamen passim hinc colligis, de Papali potestate Reges excommunicandi. Cum hac potestate (vt putas) non consentit, quod ex Monitoria Regis Præfatione recitas: *Nam neque me Pontifice* (inquit Rex) *vlla ex parte inferiorem esse credo: pace illius dixerim.* Ita vtrinque tibi videris cornu aduersarium petere: vt aut suam confessionem reuocet, aut Regi contradicat: infelix idem pateris, quod Achelous in lucta cum Hercule: *Armenti modò dux vires in cornua sumpsi (cornua dum sumpsi) nunc pars caret altera telo frontis, vt ipse vides*. Nusquam enim illa, quam somnias, Episcopi confessio: nusquam dicit, nunquam sensit, excommunicari posse Regem à Papa: nec Regi in eo quod non dicit, contradicit: nec in contradictione,

dictione, quæ nulla est, vulnus hîc vllum Regi optimo: vt, quasi de saucio letaliter, *hoc habet* exclamares οὐκ ἐν καιρίῳ ὀξὺ πάγη βέλος. In te ipsum & tuos hoc omen: qui quasi Rauilliacus aliquis sica sacrum latus induisset, exclamas *vide quo pacto hic salues tuum Regem*.

Cap. XXIII.

*Tertium argumentum fundari dicis in verbis Torturæ pag. 177. *Duo hæc Regna reip: & Ecclesiæ, quam diu duo manent, hoc ab illo diuisum, duos habent: postquam in vnum coalescunt, non vt in duobus duo, sed vt in vno, vnus primus est.* *Becanus p. 45.



Vlt,[a] inquis, *hoc dicere: In hoc mundo duo esse Regna distincta, &c.* Quod voluit dicere, dixit clarè: Nec tua Paraphrasis præter ineptias, & styli Episcopalis per iuxta positum contrarium, illustrationem, quicquã aliud est, quam tautologia. Ineptias, quas potius deprauationes dixissem, varias dico. Primum quod ita interpreteris verba Episcopi, ac si ne iam quidem per varias partes orbis Christiani coaluissent Ecclesia & resp: tum quod *duos primos*, de quibus Episcopus loquitur, exponas *duos supremos principes*: quod nomen de Ecclesiasticis ministerijs Episcopus nusquam vsurpat. Sed & ita duos supremos exponis, ac si quotiescunque non coalescunt in vnum

a *Bec. pag. 43. Vult hoc dicere: In hoc mundo duo esse Regna distincta: vnum Reip: ciuilis, alterum Ecclesiæ Christi: hæc quam diu manent duo habere duos Primates seu supremos Principes: quando autem in vnum coalescunt, non habere nisi vnum primatem, seu supremum Principem. Accipio quod das, & subsumo: At in noua lege quam Christus instituit manent duo, nec in vnum, &c.*

corpus Ecclesia & resp: vnum in hoc mundo, id est vnum, per totam habitabilem, Primatem Ecclesiasticum à ciuili magistratu distinctum agnosceret. Etiam ita interpretaris hanc Episcopi sententiam: ac si regnum aliquod temporale vnum in toto hoc mundo, & alterum Ecclesiasticum vnum itidem agnosceret, quod penes mortales esset? Atqui ille non de hominum, sed de Christi Regno duplici: nec de eo vniuerse pro vt vtrumlibet vnum est per totum orbem: sed prout in particularibus ditionibus consideratur. Simili ambiguitate ludens in eo quod ad hanc Episcopi confessionem assumis, imperitis aliquid dicere videris, cum nihil dicas. Integrum Argumentum audiamus.

Ecclesia & respublica quàm diu manent duo, nec in vnum coalescunt, duos habent distinctos primates, quorum alter præsit Ecclesiæ, alter reip.

At in noua lege, quam Christus instituit, manent duo, nec in vnum coalescunt.

Ergo in noua lege debent esse duo distincti Primates, quorum alter præsit Ecclesiæ, alter reip.

Respondeo Maiorem accipi posse vel de tota visibili Ecclasia, vel de particulari Ecclesia. Et apud Episcopum quidem nostrum patet sermonem esse de Ecclesia particulari, quo sensu proculdubio vera hæc maior propositio. Sed cum eodem sensu oporteat vtramq; propositionem loqui de Ecclesia, certè & minor intelligenda de particulari Ecclesia: quo sensu scis nos eam minimè admissuros. Dicimus enim (astipulante etiam [b] Bellarmino) particulares Ecclesias iamdudum plures, cum suis rebuspub. in vnum corpus coaluisse. Ita ex verbis quidem

b *De Pontif: l.5.c.6. Inueniuntur (inquit) quandoque separatæ, Politica potestas, & Ecclesia: vt olim tempore Apostolorum, quandoque coniunctæ: vt nunc. quando autem sunt coniunctæ vnum corpus efficiunt: ideoque inferior debet superiori subiecta esse.*

dem Torturæ nihil infers contra Episcopi sententiam. Id tantum assecutus es, vt in minore falsa, quam subsumis fundamentum nonnullum Bellarminianę doctrinæ de regum depositione euerteris. Nam si de vniuersali regimine Ecclesiastico intelligi vis, fateor Minorem quidem veram esse: sed de Maiore respondeo, primum, eam hoc sensu intellectam, falso à te imputari Episcopo nostro: ideoque nihil hic contra eum inferri. deinde addo, si ita intelligendum regimen Ecclesiasticum, etiam similiter intelligendum regimen Politicum: vnde apparet Maiorem falsam esse: duplex enim hoc regimen quod per totum orbem sub Christo summo gubernatore, in varijs locis diuisum & disiunctum est, quamdiu ita manet, nihil necesse est, vt duos tantum habeat sub Christo principes supremos.

Horum tu parum aut nihil cogitans, post tam futile argumentum propositum, *vt plena pluuiam cornix vocat improba voce: & sola in sicca secum spatiatur arena.* ita tibi places. *Quid potes* (inquis) *hic tergiuersari? dic obsecro, an tempore Christi, qui nouam legem instituit, fuerint diuisa hæc duo Regna, an vero in vnum coaluerint.* Inepte, ne metue: fatetur, & profitetur fuisse diuisa tempore Christi. Frustra hic multus es, vt doceas, quod nemo neget. Perge tandem. *Iam vero* (inquis) *si tempore Christi non fuit vnus idemque Primas Ecclesiæ & reipub. quomodo Rex tuus, qui Christi institutum profitetur, vtrumque primatum sibi vsurpare audet?* Studium indicas & stultitiam: aliud agis nihil. Quid enim stultius, quam quod hoc loco supponis, si non extat exemplum tempore Christi, non extare

auctoritatem in institutis Christi? Pergis delirare atque adeo illudere Regi optimo. *nisi forte* (inquis) *dicat* Episcopus, *Regem id facere ex more Iudæorum, non Christianorum: ideoque in hac re similem esse Iudæis, non Christianis.* Ita siquis quid facit exemplo Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ: non autem exemplo Regum decem, [c] *quibus Deus in animum dedit, vt traderent Regna sua bestiæ, donec verba dei complerentur:* te iudice Iudæis in hac re similis est, non Christianis. Sed sit similis pijs illis Iudæis (quanquam etiam Christianis, Constantino, Theodosio, Carolo Magno, & alijs) Sit nullum in nouo Testamento, id est in libris noui Testamenti, exemplum Ecclesiæ cum repub: in vnum coalescentis: confitemur: clara res: nec opus vt ad hanc confessionem nobis extorquendam, aut ad scintillam inde euanidam, quā supra difflauimus excudendam, locum ex Tortura longiusculum transcriberes.

c *Apoc. 17. 13.*

[d] *Ex hac*, inquis, *tam luculenta confessione duo colligo: collige* vero tu *sarcinulas, & exi. Iam grauis es nugando & sæpe emungeris, exi.* Quis enim vnquam hac tua *collecta duplici*, inaniorem dedit? *vnum*, inquis, *est Regem Angliæ, sine vllo exemplo noui Testamenti, vsurpare sibi vtrumque primatum, reip. & Ecclesiæ.* Sepone vsurpationis vocem, quam toties ingeris, parum æquam: cetera quid hic absurdi? aut quænam hæc collectio eiusdem ex eodem? ex eo

d Bec. p. 47. & 48. *Ex hac tam luculenta tua confessione duo colligo. vnum est Regem Angliæ, sine vllo exemplo noui Testamenti, vsurpare sibi primatum Ecclesiæ & reip: Alterum Regem Angliæ, vel alios Reges & Imperatores in errore versari. Nam si vt tu loqueris, nusquam in nouo Testamento Ecclesia & resp: in vnum coaluerunt, & iam tandem in Anglia in vnum coalescunt: necesse est, vel hactenus erratum esse ab omnibus: & vestrum Regem cœpisse primum sapere; vel certè, quod credibilius est, alios in hoc genere sapuisse: vestrum Regem à meta aberrare.*

quod

quod Regi Magnæ Britanniæ, primatum Ecclesiæ in sua ditione gerenti, non suppetat exemplum in libris noui Testamenti, colligis eum, hunc primatum gerere sine exemplo aliquo, quod in ijsdem libris habeatur. Nam si, vt statim facis, *in nouo* hic quoq; intelligis *sub nouo*, vt sententia sit, Regem Magnæ Britanniæ eum sibi primatum Ecclesiæ vendicare, quem nemo vnquam Regum Christianorum à promulgato Euangelio vendicauit, vnde hoc insanum mendacium ex verbis Episcopi colligis? Inde certè: quia dicit exemplum in nouo Testamento, id est in libris noui Testamenti, nullum haberi: instituе igitur rationem stultissimam, vecordis pectoris, ebrij capitis, insani cerebri: *nullum extat in libris noui Testamenti exemplum: ergo nullum à propagato Euangelio in hunc diem.* Alterum quod colligis, *vel Regem Angliæ, vel alios Reges & Imperatores in errore versari,* totum nititur hac tua intolerabili amentia, quod supponas Episcopum dicere, nunquam ante hæc tempora extitisse exemplum Regis primatū Ecclesię gerentis: id quod ex ambiguitate, quam dixi, infers: cum illud, *nusquam in nouo Testamento,* quod aliquando satis cōmode interpretaris, nusquam in libris noui Testamenti: hic accipis (vt iam dixi sed & supra [e] notaui, vbi eadem hac ridicula habes) pro *nunquam sub nouo Testamento.* Vtinam vero qui statim non dissimulas *videre quid obijci possit,* hoc saltem, quod ita eminet, vel vidisses, vel non dissimulasses, aut si hunc scopulum vitare voluisses, saltem de ijs qui iure Regio primatum Ecclesiæ gessisse dicuntur, quorum supra nonnullos nominaui, aliquid præoccupasses. De Papa enim in Petri patrimonio

[e] *Ad Paradoxum* 2.c.6. § 2.

trimonio vtrumque primatum gerente, cum primatum Ecclesiæ non profiteatur iure Regio gerere: nihil certè eramus obiecturi. Sed quia ita in schola soles præoccupare obiectiones futiles, & necessarias transilire, ideo si & in scriptis idem feceris, rem magnam tibi videris præstitisse. Sed & hic quoq; vbi aerem cædis [f] non sine multa offensione euadis. Primum enim inter Papæ vtrumque primatum in parte Italiæ, & Regis in magna Britannia differentiam veram (quod hic primatum circa spiritualia iure Regio sibi assumat, ille non item) omnino prætermittis: & alteram tibi parum tutam substituis. Parum dico tutam tibi, quia in controuersiam magis iam & magis crudescentem, inter vestros homines te immittis temerarium definitorem. Pollent enim Romæ (si nescis) qui Papæ iure diuino vtrumque gladium per totum orbem directè asserunt. Nec frustra credo Bellarminus eo iam descendit, vt ea nuper contra Barclaium scripserit, quæ publico edicto Gallicano infamia & proditoria haberentur. Sed neque in Petri patrimonio libenter credo audiet Pontifex, iure tantum humano sibi vt principi Politico deberi ciuilem obedientiam: id quod ex tuis verbis (ita passim temerarius & improuidus es) si nó necessariò, certè probabiliter sequitur. Vis enim *coniunctionem* vtriusque primatus in Papa, *iure tantum humano introductam esse*: nec potest (credo) hoc esse, nisi alterum primatum habeat, tantum iure humano: vnde cum eodem modo debeatur obedientia, quo modo habetur auctoritas, etiam iure tantum humano alteri primatui obedientia deberi videatur. Ad hęc etiam ineptissimè

[f] *Verba Becani p. 48. Video quid obijci possit: hoc nimirum: quod etiam Pontifex in parte Italiæ vsurpet vtrumque Primatum reip. & Ecclesiæ. Fateor ita esse: sed illa coniunctio iure tantum humano introducta est: tu autem contendis Regem Angliæ habere vtrumque Primatum iure diuino: hoc probare non potes.*

me hoc loco supponis, eundem à nobis Regi nostro Primatum Ecclesiæ, in suis Regnis attribui: cum eo qui à vobis Papæ tribuitur per totum orbem: cum immane quantum inter hæc duo intersit, vt supra satis exposui.

Cap. XXIIII.

* *Quartum Argumentum suppeditari putas pag. 35. & 36.*

* *Becanus pag. 48.*

PRimum, ex Episcopi sententia videri vis [a] elicere conclusionem admirabilem: *Iacobum Regem omni Regno temporali exutum esse.* Deinde hoc posito facile colligis, eundem *non posse titulo Regis temporalis arrogare sibi Primatum Ecclesiæ.* [b] Hic cum iubes Episcopum *Regi, si potest, succurrere,* morbum indicas: non tam ista à te Episcopi, quàm Regis odio dicta: nec tam velle te, vt absurda videantur in Episcopum, quàm vt vera in Regem. Sed ille (vti speramus) per diuinam tutelam, extra iactum teli vllius vestri. Propositum, quod quarto huic argumento præcipuum atque vltimum prætendis, quibus verbis apud te habetur (ita nihil agis, ne tum quidem cum maximè vis) integrum concedimus. Vere enim dicis: *Non potest Rex Iacobus titulo Regis temporalis arrogare sibi primatum Ecclesiæ. Succurrat,* inquis, *Regi si potest.* At nihil opus hic cuiusquam succursu. Sine incommodo fatemur: *non potest Rex,* id est, iure non potest, *hoc titulo hunc primatum*

a *Bec. pag. 49. Hæc vis argumenti tui, Sed annon vides retorqueri posse in tuum Regem? Imo eodem planè argumento & regno temporali, & primatu Ecclesiæ spoliari potest Rex tuus.*

b *Pag. 51. Hic tu succurre illi si potes.*

matum sibi arrogare. Nec enim iure potest quisquam sibi quicquam arrogare. Potest iure vendicare, potest iure assumere, potest iure exercere hunc primatum hoc titulo: *iure arrogare* certè non potest. Disce ergo grammaticam Iesuita Monarchomache: vel dediſce κωμῳδεῖσθαι: quæ te ita prouexit ad verbum odiosum, vt potius quàm hoc verbum dimitteres, operam omnem amitteres. Nec contemnendam tamen insistis viam ad vindicandum Papæ Primatum Ecclesiæ: vt primum & ante omnia, Iacobus *ne sit Rex temporalis*: vel potius, vt ne sit diuturnus. Vultis enim temporalem esse, id est, pro tempore, non diu. Et quidem pro tempore, si fieri potest, breuissimo: certè non diutius, quàm interim dum vobis deerunt vires. Sed ita est, vt in Tortura dicitur, Primatus Papæ μῆλον ἔριδος: hoc pomum vobis vetitum, potius quam non tandem referatis, experiemini si quà & regnum Regi, & vitam auferatis. Túque, quia hoc pacto vides à vestris laborari, vt regno ad alium translato, recuperetur Papatui Primatus Ecclesiæ Anglicanæ: & ipse eadem methodo disputas: vt primum non sit Rex, deinde non habeat primatum Ecclesiæ. Sic tandem Iesuita dignam edis vocem: quibus de rebus Regum & regnorum ludus in ludo discipulorum. Tardius ingenium est? casibus studeat conscientiæ: ceteris omnis ambitio in Theologia (non Scholasticâ vt olim sed) Aulicâ. Quanquam & ipsis etiam *Casuistis*, plurimus in hoc genere Politico labor, vnde regibus potestas, qui limites, quę officia regum, qui tyranni, quæ contra tyrannos libertas populi, quæ priuati cuiusque. Sic quoque

ille Prototypus vester *BarIesu*, id est Iesuita [c] (idem enim notant in hoc nomine tres primæ literæ, quod in vestro tres postremæ) homo Politicus [d] ὃς ἦν σὺν ἀνθυπάτῳ, Proconsuli semper ad latus. Sed videamus iam quod prætendis ex Episcopo, quod *Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ*, Iacobum nostrum omnino regno temporali exutum esse, quomodo euincas. Primum quia ex recto facile iudicatur de obliquo, rectam & disertam sententiam proponam totius loci apud Episcopum: vnde admirabilem illam conclusionem extundis. Hoc vt facilius fiat, incipiendum à verbis aduersarij, ad quæ respondet.

c Bar, *non solum filium significat, sed cuiuis ferè denominationi inseruit.*

d *Act.* 13.7.

§ 2. *Cum hac conditione* (inquit [e] in Torto Bellarminus) *Reges terræ ad Ecclesiam admittuntur, vt sceptra sua Christo subijciant: & fidem & religionem non euertere, sed protegere, defendere, non oppugnare debeant: Quod si nolint, ius est illi, qui toti Ecclesiæ vice Christi præest, eos à communione fidelium segregare: subditisq; interdicere, ne illis pareant.* His verbis, duplex (vt patet) ius Papale in Reges terræ asseritur: Vnum excommunicationis, alterum depositionis. De priore, Episcopus absoluit verbo: monet, in controuersia de Iuramento fidelitatis, nihil opus, vt de eo contendatur: vt quod in hac controuersia, non quidem concedatur, sed supponatur, ad Papam Romanum pertinere. De iure deponendi Reges tota lis: Ad hoc ius asserendum in verbis ex Torto iam recitatis, ratio assignatur: quia Reges (vt putat) cum hac conditione ad Ecclesiam admittuntur, vt huic quoque Iuri Papæ Romani, in Ecclesia vicem Christi gerentis, scep-

e *Pag.* 16, 17.

tra

tra sua subijciant. In hac ratione (vt vides) duo momenta: alterum à conditione admissionis ad Ecclesiam: alterum ab auctoritate eius qui vice Christi Ecclesiæ præsit. Ad hæc respondens Episcopus: [f] primum, de priore momento disputat, quàm nullius sit momenti: deinde ad momentum alterum de auctoritate Vicarij Christi accedens, [g] ita disputat.

f Pag. 32. & seq.

g Pag. 35. & seq.

Qui Ecclesiæ vice Christi præest, non potest Iure Vicarij Christi in Ecclesia interdicere Regis subditis, ne Regi in ciuilibus pareant: nisi hoc eodem iure præsit etiam regno temporali.

At Papa iure Vicarij Christi in Ecclesia, non praeest regno vlli temporali:

Ergo Papa iure Vicarij Christi in Ecclesia (id est, hoc titulo quod Ecclesiæ Vice Christi præsit) non potest interdicere Regis subditis, ne Regi pareant.

Maiorem huius Syllogismi primarij probat hoc modo.

Qui Ecclesiæ Vice Christi praeest, nisi etiam eodem iure Vicarij Christi & regno præsit, non potest hoc iure (seu titulo) interdicere subditis ne pareant ei, cui non tenentur quatenus sunt de Ecclesia.

At subditi in ciuilibus, seu temporalibus non tenentur Regi, quatenus sunt de Ecclesia: vt patet ex eo, quod & antequam sunt de Ecclesia (id est nondum baptizati) & etiam cum extra Ecclesiam sunt, manent semper subditi:

Ergo, qui Ecclesiæ Vice Christi præest, non potest iure Vicarij Christi in Ecclesia interdicere Regis subditis, ne Regi in ciuilibus pareant, nisi hoc eodem iure præsit etiam regno temporali.

Maiore

Maiore primarij Syllogiſmi hoc pacto expedita, ad Minorem confirmandam, quæ tota [h] Bellarmini eſt, ex eiuſdem Bellarmini ſententia ſupponit, Chriſti, vt hominis & Rectoris Eccleſiæ, duplicem eſſe rationem: *vnam*, quà mortalis in terris aliquando fuit: *alteram*, quà iam poſt reſurrectionem immortalis eſt. Hoc poſito, minorem primarij Syllogiſmi, quæ vt dixi Bellarmini eſt, ratione Bellarminiana ſic confirmat.

h De Pontif. lib. 5. cap. 4.

Papa non eſt Vicarius Chriſti in Eccleſia, niſi quà Chriſtus olim mortalis fuit:

At Chriſtus quà mortalis olim fuit, non præfuit regno vlli temporali:

Ergo Papa iure Vicarij Chriſti in Eccleſia, non præeſt regno vlli temporali.

§ 3. Hæc ſumma totius loci apud Epiſcopum: vbi quæ poſtremo addit ex Bellarmini ſententia (quam hic ſequi profitetur) ad Minorem primarij Syllogiſmi confirmandam, ita recitas ex Torturæ pag. 35, & 36. *Chriſtus enim* (inquit) *cuius hic vicem obtendis, non ſic præfuit, dum in terris fuit. Regnum, quod de mundo fuit, non habuit: Regni, quod non habuit, vices non commiſit.* Et paulo poſt. *Eſt ille quidem Rex Regum: ſed quà Regum Rex eſt, immortalis eſt: mortalem nullum Proregem habet: Papa mortalis ipſe, non aliter Chriſti Vicarius, quàm quà mortalis Chriſtus.* Hæc cum ex Epiſcopo recitares, addidiſſes & vnam illam quæ proximis verbis ſequitur ſententiolam: *Conſule*, inquit, *dominum tuum, vera hæc agnoſcet, & ſua.* Sed & locum Bellarmini nota marginali indicat. Ita ſiquid ex breuitate dictionis (vt ſemper) preſſiſſimæ, obſcurius dictum

dictum videretur, æquissimum certè fuerat, vt ex loco Bellarmini interpretationem peteres: ideoque quod dicit, *Christum, qua Rex Regum est, immortalem esse, & mortalem Proregem nullum habere*: ex Bellarmino exponendum de Christo, non quà Deus est, sed [i] quà homo immortalis: Nec simpliciter de regno externo in ordinaria administratione Prouidentiæ diuinæ, sed de Regno spirituali in Ecclesia. Agitur enim de potestate Vicarij Christi: qui cum non prætendat vicem Christi qua Deus est, sed qua homo: nihil hic ad rem de Christo quà Deus est. Agitur verò etiam de huius Vicarij potestate in regimine Ecclesiæ: ideoque nihil hic ad rem quærere de tota Christi potestate, qua, vt homo immortalis, in cœlis regnat: sed de ea tantum qua Rector Ecclesiæ est. Ita cum dicit Christo immortali quà Regum Rex est, nullum esse mortalem Proregem, intelligit Christo homini iam in cœlis regnanti nullum terrestrem & mortalem Vicarium esse in regno spirituali, quod nunc in cœlis sedens ad dextram Dei Patris administrat: cuius regni spiritualis vices Pontifici commissas, expressè negat Bellarminus, loco vnde ista Episcopus desumpsit. Nec huius regni vices Regibus commissas dicimus, cum eos vocamus Vicarios Dei. Nec ideo negauit Episcopus huius Regni spiritualis, Vicarium mortalem nullum esse: quasi mortalis nullo modo dici possit Vicarius immortali: sed quia ex Phrasi antiquæ Ecclesiæ piè aliquo sensu Christus, quà Rex regum est, dici potest habere immortalem Vicarium, puta Sanctum Spiritum: Id quod etiam ipse, postquam in Paradoxis (quæ vocas) Regis

[i] *Verba Bellar. de Pont. lib. 5. cap. 4.* Neque enim (*inquit*) Pontifici tribuere possumus officia Christi, quæ habet vt Deus, vel vt homo immortalis & gloriosus: sed solum ea quæ habuit vt homo mortalis. *Vide supra hoc eodē capite: vbi duplicem Christi Rectoris Ecclesiæ rationem, quà homo est, pluribus describens, & de regno spirituali Christi hominis, cuius nullum mortalem Proregem habeat, loquens, disertè ait:* Nō potest Pontifici communicari hoc regnum: quia præsupponit resurrectione.

Regis Angliæ recensueras, & non paucis reprehenderas, tandem agnoscis ex [k] Tertulliano. Nec enim solum directa, vt ostendi, probatione, Minorem primarij sui Syllogismi confirmat Episcopus verbis illis, quæ iam ex tua recitatione proposui: sed etiam tacitam obiectionem eadem opera præoccupat. Obijci poterat hoc modo.

Christus, quà homo, est Rex Regum:
Papa est Vicarius Christi in Ecclesia, quà Christus homo est:
Ergo Papa ipso Iure Vicarij Christi hominis, in Ecclesia præest, etiam regnis temporalibus.

k *De Præscrip. cap. 13. Regula fidei est Christum in cælos receptũ sedere ad dextrã Dei Patris: misisse Vicariam vim Spiritus Sancti qui credentes agat. Vide Resp. Episc. ad Apol. Bellarm. cap. 8. pag. 212.*

Ad hanc obiectionem quid respondeat Episcopus, ex Bellarmini sententia satis iam exposui: etsi Christus quà homo est, sit Rex Regum, & Papam admittamus esse Vicarium Christi in Ecclesia, quà homo Christus: non tamen ideo Papam Vicarium esse Christi in Ecclesia, quà Christus Rex Regum, vt ita hoc titulo præsit regnis temporalibus. Nec enim inquit, vel secundum ipsum Bellarminum, vllum habet homo Christus in regno spirituali mortalem Proregem, quà quidem Rex regum est: sed tantum, quà quondam mortalis in terris Rector Ecclesiæ fuit.

§ 4. Sequitur iam, exposita integra Episcopi sententia, vt videamus, quàm mirifice eam tua vel malignitas, vel stupiditas peruertat: vt ita admirabilem illam conclusionem tuam ex ea inferas. Non potest quicquam nostrum per vestros alueos defluere (id est, vestris interpretationibus exponi) quin simul, vt dicitur de fluminibus, alieno alueo-

rum vitio lutulentis & turbidis, λύματα γῆς, ϗ πολλὸν ἐ ὕδατι σύρφετον ἕλκει. Sic ſemper, ſed hoc loco eminenter. Primum recitatis Epiſcopi verbis, ex pag. 35, & 36. illis quæ ſupra tranſcripſi ad verbum, pergis hoc modo. *His verbis*, inquis, *conatur probare Pontificem, tametſi Chriſti Vicarius ſit, non tamen habere Regnum temporale. Supponit autem dupliciter ſpectari poſſe Chriſtum: primò, quatenus immortalis eſt, ſeu ſecundum diuinitatem: ſecundò, quatenus eſt mortalis, ſeu ſecundum humanitatem. Hoc poſito ſic argumentatur. Chriſtus ſecundum diuinitatem, ſeu quatenus eſt immortalis, eſt quidem Rex Regum, & habet omnia Regna huius mundi ſub ſua poteſtate: non tamen habet vllum Vicarium mortalem. At Papa mortalis eſt: Ergo non eſt Vicarius Chriſti, quatenus hic immortalis, ſeu Deus eſt. Chriſtus porro ſecundum humanitatem, ſeu quatenus mortalis eſt, non habet vllum Regnum temporale: Ergo non poteſt habere vllum Vicarium in regno temporali: Ergo Papa vt Vicarius illius ſit, non eſt tamen in regno temporali, ſed ſolum in regno ſpirituali. Hæc vis argumenti.* Hæc vis argumenti? imo hæc vis ſtultitiæ tuæ, vt attentum lectorem tuum, indignatione occidat. *Conſice: namq; inſtat fatum mihi triſte*: nec enim venena metuat, nec enſem hoſticum, auditor, quem tua ſtoliditas non enecet. Inepta, ridicula, impia, interpres alienæ ſententiæ mendaciſſimus, affingis viro, *cuius ob os, docti ora obuerterunt ſua*: deinde quæris homo inſanus, *annon videat, hæc retorqueri poſſe in ſuum Regem.*

Exoluam iam quod promiſi, de quindecim circa vnum locum præſumptionibus tuis abſurdiſſimis.

Prima

Prima est, quod dicas Episcopum hoc loco, *conari probare Pontificem, tametsi Christi Vicarius sit, non tamen habere regnum temporale.* Nec enim hoc loco negat Pontifici Patrimonium Petri: nec donationes Constantini, Caroli Magni, aut Ludouici Pij oppugnat. Quod faciendum sanè ei, qui conetur probare Papam non habere regnum temporale. Id tantum hic agit, vt doceat, Papam Iure Vicarij Christi in Ecclesia, non præesse regno vlli temporali.

Secunda, quòd eundem facias hoc loco distinguere Christum *secundum duas naturas*: quum tantum distinguat duplicem rationem *vnius naturæ humanæ*: alteram qua mortalis erat ante resurrectionem; alteram qua immortalis est post resurrectionem: Vt docui ex Bellarmino, & ex scopo loci.

Tertia, quod in illo, *quatenus immortalis est, seu secundum diuinitatem*: ita exprimas Episcopi sententiam, ac si supponat, Christum iam non esse immortalem, nisi secundum diuinitatem.

Quarta, quod in illo, *quatenus mortalis est, seu secundum humanitatem*, similiter ab eodem supponi vis, quæcunque Christo conueniunt secundum humanitatem, omnia eidem conuenire quà mortalis erat. Id quod cum scopo loci apud Episcopum pugnat ex diametro, & cum sana doctrina non minus.

Quinta, cùm, quasi ex Episcopi sententia loquens, ais *secundum diuinitatem, est quidem Rex Regum*, vbi simul innuis, quasi ex eiusdem sententia non esset Rex regum, nisi secundũ diuinitatem.

Sexta, cùm, pro Episcopi sententia & illud obtrudis, vt velit *Christum, secundum diuinitatem, non habere vllum Vicarium mortalem* : vbi simul etiam præsumis ab eodem negari, Reges in suis Regnis esse Vicarios Dei, seu Christi secundum diuinitatem. Id quod & hoc loco, ex verbis Episcopi colligi nequit (vt supra docui) & [l] alibi ab eodem ex sententia Pontificum, Eleutherij, & Anastasij, disertè negatur.

l *Tort. pag.* 158.

Septima, in illis verbis, *Ergo Papa non est Vicarius Christi, quatenus hic immortalis, seu Deus est*: vbi cum facis Episcopum ita concludere, id ab eo laborari vis, & Syllogismo misero probari, quod ex Bellarmini sententia, pro noto sumit & manifesto : nempe vices Christi in Ecclesiæ regimine, non posse Papæ ita attribui, vt vel Christi, quà Deus est, Vicarius dicatur, vel Christi, quà nunc est homo immortalis.

Octaua, in illis verbis tuis, *quatenus mortalis est*: quibus partem sententiæ Episcopi exprimi vis, vbi eandem impiam blasphemiam iterum eidem affingis, quasi Christus etiam nunc aliquatenus mortalis esset : cum Episcopus hunc respectum in Christo agnoscat, non qualis nunc est, sed qualis olim in terris fuit.

Nona, in illis, *Christus secundum humanitatem non habet vllum regnum temporale*: hic affingis & aliam blasphemiam : quasi neget Christum, quatenus homo in sede gloriæ sedet ad dextram Dei Patris, habere Regiam potestatem in rebus terrenis.

Decima in illis, *ergo non potest habere vllum Vicarium in regno temporali*: hoc pacto cum Episcopum

pum facis de Christo secundum humanitatem concludere: ineptissimè præsumis, quasi hoc loco non modò putet, sed etiam probare conetur, nec Reges terræ, nec omnino quenquam in regnis temporalibus, dici posse vices gerere Christi, quatenus homo Christus.

Vndecima in eo est, quod tandem ab Episcopo inferri vis, *ergo Papa, vt sit Vicarius illius* (puta Christi secundum humanitatem, seu quatenus mortalis est) *non est tamen in Regno temporali, sed solum in spirituali.* His verbis præsumis ab Episcopo concedi, si Papa sit Vicarius Christi secundum humanitatem, necesse, vt vices Christi gerat in eo regno spirituali, quod nunc ad dextram Patris sedens administrat: id quod & à mente Episcopi, & à mente Bellarmini, quem hoc loco sequitur, longissimè abesse docui.

Duodecima, in consequentia Enthymematis, quod Episcopo affingis. Ita enim ab eo disputari vis:

Christus, quà Deus, seu quà immortalis est, non habet vllum Vicarium mortalem: quà autem homo, seu mortalis est, non habet vllum regnũ temporale:
Ergo Papa non est Vicarius Christi in regno vllo temporali.

Hoc Enthymema cùm Episcopo obtrudis, etiam in consequentia, hypothesin, seu Maiorem propositionem, eiusmodi obtrudis, quæ supponat regimen Ecclesiæ duplici tantum respectu considerari posse in Christo: quod tamen vt docui, triplici respectu, hoc loco considerari posse supponitur: vel quà Christus Deus est, vel quà homo est in cœlis

ſedens ad dextram Patris, vel quà homo mortalis olim fuit in terris ſub forma ſerui. Itaque contra ſententiam Epiſcopi, facis argumentum eius niti diuiſione imperfecta.

Atque hæ quidem, vt vides, præſumptiones tuæ, in inſana tua expoſitione ſententiæ Epiſcopi. Aliæ in ijs quæ addis, vt doceas, *eodem planè argumento Regem & Regno temporali, & ita Primatu Eccleſiæ ſpoliari poſſe.* Vbi quia quod naturâ primum eſt, poſtremo loco apud te habetur, non morabor ordinem tuum: *Rex* (inquis) *non alio titulo arrogat ſibi Primatum Eccleſiæ* niſi quà *Rex eſt temporalis, & Vicarius Dei.* Quorſum hæc inuidia verborum, vt tam facile, homo nihili, Maieſtati Regiæ *arrogantiam* impingas? Sed neque verum, quod non alio titulo hunc Primatum gerat. Nec enim Nabucadnetſarum, aut Cyrum, aut Auguſtum, hoc honore in ſuis ditionibus dignamur, vt penes ſe, ſupremum in terris regimen in rebus religionis haberent: quos tamen & Vicarios Dei, & Reges temporales agnoſcimus. Itaque præter titulum regni temporalis, etiam titulum hominis Chriſtiani in Rege requirimus, (vnde ex vtroque titulo vnum ius exiſtat) vt ſupremus ſit in re religionis gubernator. Pergis: *At iam oſtendi* (inquis) *ex tua ſententia non eſſe Regem temporalem, nec Vicarium Dei.* Et quomodo hoc oſtendiſti? *Si Rex tuus* (inquis) *habet regnum temporale, vel habet illud tanquam Vicarius Dei immortalis (quod ipſe vult) vel tanquã Vicarius Chriſti mortalis. Neutrum dici poteſt: non prius: quia Deus quà immortalis, non habet Vicariũ mortalem, &c. Nec poſterius, quia Chri-ſtus,*

stus, quà mortalis, non habet regnum. Aut ergo omni regno temporali exutus est: aut si quod habet in gubernando, debet esse alterius vicarius, quàm Dei immortalis, & Christi mortalis, hoc non concesseris, ergo illud concedendum est. Ad Argumentum respondeo: Minorem falsam, habet enim regnum temporale, vt Vicarius Dei immortalis: nec negat Episcopus, quin immortali regi, etsi non in toto regno, aut in potestate tota, tamen secundum assignatos limites, & modum potestatis, possit esse Vicarius mortalis. Quæ sit sententia Episcopi, & quàm ineptè tuum ei somnium obtrudas pro sua sententia, supra satis exposui. Sed & in Maiore propositione satis futilis diuisio: æquè enim dixisses, vel Iure successionis Rex est, vel Iure viri sancti: nec similis vlla (vt docui) apud Episcopum diuisio est.

Atque hæc quidem ad argumentum tuum. De Præsumtionibus, vt pertexam quod reliquum est,

Decima tertia est, quasi solum titulum Regni Temporalis, sufficere putet Episcopus, ad Primatum Regium: qua de re iam dictum: & statim vltra aliquid dicendum erit.

Decima quarta, quasi duplicem faciat Dei respectum: alterum quà immortalis est, alterum huic oppositum. *Deus* (inquis) *qua immortalis, non habet vicarium mortalem: vt tu sponte affirmas.* Quid est hoc, *Deus quà immortalis,* nisi supponere etiam alterum Dei respectum, quà non immortalis sit?

Decima quinta, quasi non concessurus sit Episcopus, *quin Rex in suo Regno sit vicarius Dei immortalis, & Christi mortalis.* Hoc à te disertè dici, testis præmissa verborum tuorum recitatio. Falsò

autem dici, testis euidentia sententiæ nostræ. * Christi enim, quatenus mortalis olim fuit, vices nemo nostrûm Regi, nec in Regno, nec in Ecclesia vnquam assignauit.

* *Vide supra, cap. 9. §7.*

Pudibunde, vultus i tege in tenebris· postquam iam intelligis tandem in summa petulantia summam stupiditatem tuam.

CAP. XXV.

* Quintum Argumentum, quod ex Torturæ pag. 39, & 40. expiscaris, sic instituis.

* *Becanus, pag. 51.*

Primatus Ecclesiæ qui Regi attribuitur, si omnino ei debetur, pertinere debet, vel ad bona communia, quæ Rex habet ab Ecclesia: vel ad bona propria & ciuilia: Item (quod eodem recidere videtur) *vel ad ius nouum & spiritale, quod Rex acquirat, quando fiat Christianus, vel ad ius antiquum & terrenum, quod Rex habeat antequam sit Christianus.*

At non pertinet nec ad bona communia (siue ius nouum & spiritale) nec ad bona propria (siue ius vetus & terrenum:)

Ergo non omnino ei debetur.



Inorem probas, quia *si pertinet ad bona communia, quæ Rex habeat ab Ecclesia, (siue ad ius nouum & spiritnale, quod acquirat quando fiat Christianus) sequitur quemuis fidelem non minus esse Primatem: vel saltem, quod Episcopus alicubi negat, Reges per Baptismum plus accipere, quam alios homines. Sin autem pertinet ad bona ciuilia & propria (siue*

(siue ad ius antiquum & terrenum) sequitur Regem per censuram Ecclesiasticam non priuari Primatu Ecclesiæ: quo nihil (inquis) *absurdius: etiam sequitur Reges Ethnicos, antequam Christiani fiunt, habere Primatum Ecclesiæ.*

Respondeo in hac tota disputatione tua omitti vnam voculam, quam si fatearis exprimendam, neganda est Maior propositio: sin neges exprimendam, neganda est Minor. Dic enim, quod credo sentis, *Si omnino Regi debetur Primatus iste, pertinere debet, vel* tantummodo *ad bona communia, seu ad ius nouũ & spirituale: vel tantummodo ad bona propria, seu ad ius vetus & terrenum:* negabimus hanc diuisionem. Pertinet enim partim ad bona communia, seu ius spirituale; partim ad bona propria, seu ius terrenum. Id quod statim dicam planiùs. Sin autem hanc voculam negabis exprimendam: Maiorem quidem dabimus, sed Minor falsa erit: Pertinet enim primatus ad vtrumque genus bonorum, & ad vtrumque ius: ideoque non rectè dicitur, ad neutrum pertinere. Nec prosunt hîc quæ affers ad Minorem confirmandam: cum incommoda illa non sequantur, nisi Primatus ad alterum tantum, non autem partim ad vnum genus bonorum, partim verò ad alterum pertinere dicatur. Vt imbecillitatem argumenti tui intelligas, audi simile.

Potestas Sacerdotalis, si omnino Sacerdoti conuenit, pertinere debet, vel ad bona communia, quæ habet à Baptismo, vel ad bona propria, quæ habet ab ordinatione.

At ad neutrum horum pertinet: Cum si ad communia pertineret, quiuis Christianus esset Sacerdos: Sin

Sin ad propria, etiam excommunicatus, nihilominus liberè posset officio Sacerdotis fungi.

Respondebis (credo) falsam Minorem, quia non potest dici ad neutrum pertinere, quod partim ad vnum pertinet, partim ad alterum: aut, si placet voculam (*tantummodo*) in vtraque propositione subintelligi, fateberis minorem veram, vbi dicatur non pertinere, nec ad vnum genus tantum, nec tantum ad alterum: sed Maiorem hoc sensu negabis. Nec obscurum, quomodo aut Potestas Sacerdotalis in Sacerdote, aut Primatus Ecclesiæ in Rege, dicatur, partim quidem ad vnum genus bonorum, partim verò ad alterum pertinere. Primum in genere bonorum communium, quorum participes omnes baptizati, rectissimè censetur ius ipsum ad societatem & communionem Ecclesiasticam: cuius sanè ambitu continetur, vt possit quis, iuxta specialem vocationem diuinam, in hac societate versari: ideoque qui per bona communia in Baptismo, nihil conferri dixerit, aut Sacerdoti, aut Regi, ad perficiendam atque exequendam potestatem, siue Sacerdotalem, siue Regiam, parum ad hæc attendere videtur. Deinde verò præter ius hoc commune, etiam proprium accedit, à vocatione speciali, siue Sacerdotis, siue Regis: in qua etsi longè maxima pars iuris continetur, aliqua tamen (vt dixi) præsupponitur.

Atque hæc quidem ad vim argumenti: Quæ obiter tuo more peccas, nonnulla iam notaui sæpiùs: quale est, quod hic quoque quasi ex Episcopi sententia, præsumas excommunicationis censuram tam liberè posse in Regem, quam in quemuis

alium

alium exerceri. Tum & omnem excõmunicatum, etiamsi Rex fuerit, extra Ecclesiam, more Ethnicorum constitui: quasi non etiam Publicani mentionem ideo fecisset seruator, vt diuersa genera excommunicationis notaret. Sed nec illud rectè præsumis, *nihil absurdius esse quàm excommunicatum adhuc manere Primatem Ecclesiæ.* Vsum enim potestatis impedit excommunicatio: habitum cum medicinalis sit, non tollit, quin resipiscentem facilè restituat in integrum. Vtque ex sententia Synodi Constantiensis dici potest, Papam ab Ecclesia excommunicatum, non statim primatu exui, (id est Papatu deponi) ita similiter dici potest, nec Regem, etsi iustissimè excommunicatum, primatum (id est ius supremi gubernatoris, in rebus Ecclesiasticis) amittere: præsertim cum (vt dixi) maxima pars huius iuris, non pertineat ad bona communia, quibus solis per excommunicationem priuamur: sed ad bona propria, id est ad specialem vocationem diuinam. Itaque nihil ferè absurdius hoc tuo *nihil absurdiùs:* qui & in pœna medicinali spem restitutionis in integrum tolli vis: & absurdissimum putas, vt non totum tollatur, cuius tamen partem longè maximam constat integram remanere: reliquum autem non tam tolli quam impediri. Quod quasi duo argumenta hoc loco prolixè, & seorsim tractes, ad explendas paginas: alterum de bonis communibus & proprijs; alterum de Iure Christianorum Regum terreno, & spiritali: cum vtriusque argumenti medium planè Synonymũ sit, & cetera prorsus eadem (vt ex nostra recitatione facile vides) pertinet hoc quoque ad ineptias tuas.

Cap.

CAP. XXVI.

*Becanus pag. 56 Sextum argumentum insinuas, cùm ais, Nec enim Regũ subditi, quà subditi, Ecclesiæ pars vlla sunt, sed regni, &c.

*Sextum Argumentum ex Torturæ pag. 35. sic colligis.

Iurisdictio Regis non extendit se nisi ad subditos Regis, quà subditi sunt.

At subditi Regis, quà subditi sunt, non sunt pars Ecclesiæ, sed tantum Reip.

Ergo iurisdictio Regis quam habet in subditos quà subditi sunt, non potest esse Ecclesiastica, sed tantum ciuilis.

Ergo non subsunt Regi in rebus Ecclesiasticis, sed tantum in ciuilibus.



Ira hic tua socordia in obiectione (si callide proponeretur) non prorsus contemnendâ, nunc autem per tuam culpam ridiculâ. Nam & secundam propositionem alienam, inculcas mutato medio termino: vnde tota consequentia ἀσυλλόγιστος: & de priore etiam conclusione susque deque fers: nec curas, quod habeat maius extremum eiusmodi, de quo nulla mentio in præmissis. Etiam iurisdictionem Ecclesiasticam dicis & ciuilem, inepte pro potestate, seu regimine in rebus Ecclesiasticis, & ciuilibus. Vnde vt supra exposui, iuxta sensum harum vocum maximè proprium (quomodo decet nos loqui) totam priorem tuam conclusionem tibi concedimus: sed posteriorem ex ea sequi nega-

mus: quæ tamen ſequeretur neceſſariò, niſi per loquendi imperitiam, argumentum tuum exceptionibus, quæ alioquin euitari poterant, expoſuiſſes.

Quod in ſecunda propoſitione aſſumis, mutato medio termino, excuſabis ſcio, quod pro ea quam aſſumere debueras, alteram ex Epiſcopi verbis æquilibrem ſubſtitueris: ſed in eo falleris, quod vtramque putes idem valere; aut neceſſariò, ſi vna vera ſit, & alteram veram eſſe. Hoc vt manifeſtum fiat, proponam ingenuè argumentum tuum, prout à te propoſitum oportuerat, iuxta regulas Dialecticorum. Ac primum remittendus mihi es ad ea quæ quarto tuo Argumento ſupra reſponſa ſunt: vbi integram habes Epiſcopi ſententiam, ex cuius ſententiæ aliqua parte, hoc loco excerpis quod retorqueas. Duas Epiſcopi propoſitiones ſumis, & vtramque rectè, id eſt aliter quàm ſoles.

Prima eſt: *Poteſtatem eius, qui Chriſti vices gerat in Eccleſia, non ſe extendere ad ſubditos Regis, niſi quà ſunt de Eccleſia.*

Altera eſt: *Regis ſubditos, quà ſubditi ſunt, non eſſe de Eccleſia, ſed de Regno.*

Ex his duabus, tertiam infert Epiſcopus, *Poteſtatem eius qui vices Chriſti gerat in Eccleſia, non ſe extendere ad Regis ſubditos, quà ſubditi ſunt.*

Ex prima propoſitione non malè colligis primam propoſitionem argumenti tui: ſed ſecundam quam ſupprimis (alienam enim vt dixi ſubſtituis, atque adeo ipſiſſimam illam quam dixi Epiſcopi eſſe) ſed eam quam ſecundo loco exprimere debueras, non rectè ex ſecunda Epiſcopi propoſitione colligis: vt enim aliquid Syllogiſticè concludatur

ſic

ſic oportet inſtitui Argumentum tuum.

Quà ſubditi non ſunt de regno, hoc reſp. ctu iuriſdictio Regis ad eos ſe non extendit:
At ſubditi, quà ſunt de Eccleſia, non ſunt de regno:
Ergo quà ſubditi ſunt de Eccleſia, hoc quidem reſpectu iuriſdictio regis ad eos ſe non extendit.

Non dubito, quin faſſurus ſis hanc eſſe vim Argumenti tui: Vbi quia vera vt dixi Maior, de Minore tota lis. Eam præſumis planè neceſſariò ſequi ex Epiſcopi ſententiâ: vnde concludis *nihil certius ex ipſius principio:* ſed ridicula probatio à præſumtione, aut aſſeueratione nudâ hominis glorioſi: conſequentia quam indubitatam præſumis, hæc eſt:

Quà ſunt de regno, non ſunt de Eccleſia:
Ergo quà ſunt de Eccleſia, non ſunt de regno.

Nihil certius ex regulis Dialecticorum, quàm infirmam eſſe hanc conſequentiam: eſt enim prorſus eadem, ac ſiquis hoc modo diſputaret.

Quà ſunt animalia, non ſunt homines:
Ergo quà ſunt homines, non ſunt animalia.

Egregius verò triumphus, ſi, cum priorem harum tibi darem, ſtatim & poſteriorem propoſitionē dari præſumeres: &, quaſi re confecta, Epinicium tuum caneres, *nihil certius ex aduerſariorum principio.* Sed cur (inquies) ſimilis ratio vtriuſque huius conſequentiæ? quia vtrobique contra regulas Dialecticorum, notio generis, ad ſpeciem retrocommeat. Eſt enim notio generis ad ſpeciem, vt animalis ad hominem, ita eorum, qui de Regno ſunt, ad eos qui hoc loco de Eccleſia dicuntur. De ſubditis enim abſoluendis ſermo inſtitutus, ex quibus quicunque

quicunque sunt de Ecclesia, omnes etiam de Regno: sed non contra. Etiam quà sunt de Ecclesia, sunt de regno, aut rep: quia societas Ecclesiastica præsupponit ordinem & debitam subiectionem in rebus huius vitæ: nec cum visibili vlla Ecclesia communio esse cuiquam potest, nisi qui & in rebus ciuilibus ordini à Deo instituto se subijciat.

Cap. XXVII.

* *Ostendi* (inquis) *hactenus, ex aduersarij doctrina, sumi posse firma argumenta, ad euertendum Primatum Regis. Nunc videamus, an æquè valida sint, quibus eundem Primatum astruere conatur.* * Becan.pa.55.



Væ longè validiora sunt, non rectè dixerimus æquè valida: quorsum ergo *videndum* iam, quod vltro damus? Fatemur quæ Episcopus habet pro Primatu Regis, non æquè (sed multo magis) ad eundem constituendum valere, atque illa quæ contra hunc Primatum expiscari videris, valent ad eundem destruendum. Et cum hæc quidem, vt docui, nihil valeant ad destruendum, illa autem plurimum ex nostra sententia valeant ad constituendum: quis nostrum ita amens, vt hanc tecum litem litiget: ac non potius fateatur, non æquè valere, hæc ad destruendum, illa ad constituendum?

Sed quomodo *videbis, an æquè valeant?* vnum enim exemplum modò carpis: cetera, quæ plurima,

ma, nullus attingis: ex fastidio, an ex ignauia hæc fiducia, vt putes vno reprehenso omnia refutari? An vero potius ad fucum faciendum hæc iactantia: vt qui vnum vix attingis, videaris ex primo hiatu, etiam cetera pertractasse? *Omittam* (inquis) *ea quæ illi cum Rege communia sunt, & alibi à me refutata.* Proiectissima audacia tua, vno spiritu bis mentitur impudenter. Primum mendacium ingeminas, cum addis, *Vnum, quod ei peculiare est, excutiam.* Quæ enim hæc negligentia tua, quod non animaduerteris, totum, quod hoc loco contra disputas, Episcopo *commune* esse cum Rege, nihil hic ei *peculiare?* Vt scias quàm hic turpis sis, vide ipsum locum [a] Torturæ, vnde hoc argumentum recitas: inuenies manifestissimè hæc omnia ex Regiâ Apologia desumta esse. *Quæ* (inquit) *subiunxit Apologia de Sacris Scripturis testimonia, &c.* ea dicit quæ hoc loco à te refutanda proponuntur. Quæque tibi dicuntur non *communia cum Rege*, sed Episcopo *peculiaria.* Ita vbique prodis stupidam ignauiam. Sed & alterum æquè turpe mendacium: cum ais, quæ Episcopo cum Rege communia sunt, *alibi à te refutata esse.* Vbi hoc *alibi?* quæ maximi sunt ad causam momenti, & communia Regi cum Episcopo, exposui in initio: quorum nec hoc tuum fragmentum, nec illa malè nominata tua Refutatio Apologiæ, & Monitoriæ præfationis, quicquam attingit. In qua certè ex tribus (quæ recitas) capitibus scriptionis Regiæ, duo prima, & præcipua, alterum de Iuramento fidelitatis, alterū de Antichristo disertè profiteris omittere: nec si de Antichristo alibi disputas, de iuramento quoque alibi: nec vbi de

a Pag. 157.

de Antichristo, ibi credo multum ad ea, quæ de hoc capite, Regi cum Episcopo communia sunt.

Vnum (inquis) *excutiam:* At promisisti, non de vno, sed simpliciter de ijs, [b] *quæ affert pro Primatu* b *Pag.* 40.
Regis. Et iterum simpliciter de ijs, [c] *quibus Prima-* c *Pag.* 55.
tum Regis astruere conatur. Poterit certe vnum argumentum infirmum esse, vt tamen firma sint cetera. Nec tam ostendis infirma cetera, ex eo quod contra hoc vnum disputes: quàm indicas inexpugnabilia esse cetera, quod ea non attentes. Sed si vnum hoc infirmum, quidni (inquies) & cetera quasi hoc præiudicio condemnentur? iniqua postulatio. Sed qui hoc postulas, vtcunque iniquum sit, etiam iterum iniquus, nisi dederis, si hoc firmum appareat, & cetera hoc præiudicio pro firmis & validis habenda.

Vnum (inquis) *excutiam, quo hunc Primatum astruere conatus est:* similiter & frontispicium huius loci promittit, *argumentum Sacellani pro Primatu Regis* excutiendum: Et iam inde ab initio tertij capitis tui, pauisti nos hac spe: vbi ostentasti te hoc tandem loco ostensurum, *ea quæ affert pro Primatu Regis, tam parui esse momenti, vt res abeat in contemptum.* Atqui ea quæ hoc loco recitas ex Episcopo, nec ab ipso in Tortura, nec à Rege in Apologia, afferuntur ad astruendum Primatum Regium. Vim argumenti videamus, deinde hoc tibi facile apparebit: simulque quam sis & ostentator ridiculus, & halucinator insignis.

Vis argumenti (inquis) *hæc est.* Nihil turpius, nihil mendacius Becano aduersarij sui sententiam, aut vim argumenti exponente. [d] Ostendi modò, sed d *Cap.* 24.

 osten-

ostendendum est iterum. Audiamus quam vim somnies esse verborum Episcopi, pag. 157. cùm ait, *Dixit olim Iosuæ populus &c.* Ita disputat, si tibi mendacissimo credimus.

Non soli Orthodoxi Reges in Veteri Testamento, sed etiam Gentiles, & Idololatræ habuerunt Primatum Ecclesiæ:

Ergo idem dicendũ est de Regibus noui Testamenti.

Priorem (inquis) *partem antecedentis probat exemplo Iosuæ, cui populus Iudæorum dixit Ios. 1. 17. Sicut obediuimus in cunctis Mosi, obediemus & tibi. At Mosi obediuerunt non solum in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis: ergo & Iosuæ. Posteriorem probat exemplo trium Regum Gentilium: Nabuchodonosoris in Babylonia, Pharaonis in Ægypto, & Cyri in Chaldæa: quibus etiam in Ecclesiasticis subiecti erant Iudæi: quia sine illorum veniâ, non audebant, aut sacrificium offerre, aut templum ædificare.* Non vacat iterum falsitates & ineptias (vt supra feci in re simili) hic quoque omnes numero recensere. In ipso Enthymemate duo grandia mendacia: alterum hoc loco dici Reges Gentiles & Idololatras habuisse Primatum Ecclesiæ: alterum per verba, quæ recitas ex Tortura, conari Episcopum probare Reges Noui Testamenti habere primatum Ecclesiæ. Minorum gentium mendacia, quasi Regij primatus in Ecclesia, signum faciat, quod Rege inuito non excesserint in terram suam: quodque ne sacrificare quidem ausos dicat, sine Regis venia: etiam quod verba Reubenitarum, Gaditarum, & partis Manassitarum, attribuat populo Iudæorum. Denique quod distinguat sedes Nabuchodonosoris in Babylo-

Babylonia, Cyri in Chaldæa: hæc quidem non vrgeo. Duo, quæ dixi, grandia vnde colligis? locus in Tortura quem recitas, locus in Torto cui hic in Tortura, locus denique in Apologia, cui ille in Torto opponitur, quid tibi tandem suggessit, vnde nobis persuadeas, aut hanc esse sententiam Episcopi, vt putet Reges Gentilium & Idololatras habuisse primatum Ecclesiæ: aut hoc esse propositum verborum quæ recitas, vt probet Reges Noui Testamenti habere primatum Ecclesiæ? Audi ipsum de his testimonijs, de Mose, de Iosua, de Babylonio, de Pharaone, de Cyro, ante omnia ne errares, profitentem: *Testimonia* hæc, *quæ subiunxit Apologia, probare falsum esse quod scripsit Pontifex, salua fide iurari non posse in verba hæc, ego præstabo obedientiam Regi.* Angustius ergo multo quàm putas, propositum verborum, vel Regis, vel Episcopi: non vt doceatur *Reges Noui Testamenti habere Primatum Ecclesiæ* (quod Episcopus vocat fictionem Torti) sed vt doceatur Regibus quibuscunque fidelem obedientiam, & eam quocunque mortali inuito, deberi à subditis Christianis. Hæc enim, vt initio monui, summa Thesis iuramenti illius, ad quam confirmandam, exempla illa, & in Apologia habentur, & in Tortura recitantur. Hanc Thesin Paulus Quintus, cum Iuramentum fidelitatis fidei & saluti contrarium esse scripsit, inprimis improbauit. Vnde & eandem Apologia, & quæ Apologiam tuetur Tortura, hoc argumento confirmat. [e] Vltra ergo quam necesse erat, illud apud Episcopum (vnde tibi causa erroris) quod addit, etiam in Ecclesiasticis obeditum fuisse Mosi & Iosuæ: hac notâ monet

[e] *Nec enim solum negat intercessum ab Eleazaro, ne etiam in Ecclesiasticis parerent: sed, postquã hoc notasset, addit id, quod maximè ad propositum erat, nec intercessum ab Eleazaro,* ne in omnibus, sed ijs solum (vt vester nunc Pontifex) quæ sibi tum recta viderentur. *Quæ verba Becanus in recitatione, pag. 57. astute transilit. aut saltem nihil hic intelligens, facile omitti potuisse putauit. vide infra* § 3.

net plus his duobus exemplis effici, quàm id quod hoc loco intenditur, ideoque etiam id quod intenditur. Quid ergo? & à ceteris tribus exemplis exiges, vt ipsa quoque non modò id efficiant, quod intenditur, sed aliquid etiam vlterius? acuta collectio tua: *de Mose & de Iosua dicit obeditum ijs etiam in rebus Ecclesiasticis: ergo & de ceteris tribus intelligendus est idem velle.* Aliud enim, quod vtrique tuo mendacio prætexas, planè nihil nec excogitari potest. Hic, si quæris quidni idem & de ceteris intelligere dicendus sit: Respondeo quia nec scopus loci (vt exposui) hoc postulat: nec verba (vt patet) præ se quicquam huiusmodi ferunt: nec sententia Episcopi, quā alibi non semel significat, hoc patitur. Vnde & ipse aliter accipiendum hunc locum, vix quarta abhinc pagina, satis apertè confiteris.[f] *Tres* (inquis) *illi Reges quos citasti, vel ex tua sententia fuerunt primates Ecclesiæ, vel non fuerunt:* satis hoc ineptè: quasi non etiam ex omniū sententia, vel fuerunt, vel non fuerunt. Sed pergis eundem alloquens: *Non dices* (inquis) *fuisse: quia non semel contrariū asseris in Tortura tua.* Non dicet, inquis: & cur ergo in Enthymemate supra proposito ais dixisse? Aliā disce artem: mendacijs enim homo tam incontinente memoriâ, nihil proficis. Quæ ergo vis argumenti? dixi iam clarè: sed iterū dicam: Id vult: *exempla illa & testimonia apud Regem, è Scripturis & patribus petita, euincere, debitam cuicunq; Regi legitimo, ciuilem obedientiam & fidelitatem, quocunque mortali inuito.* Ideoque professionem huiusmodi, *in Iuramento fidelitatis, malè à Paulo Quinto prohiberi: malè accusari, quasi fidei & saluti contrariam.*

[f] Pag. 61.

Hæc

Hæc vis argumenti: non vt fingis, ad primatum Regium, sed ad ciuilem obedientiam constituendam. In qua recitanda etiam illud peccas: quod partem recites pro integro. Non enim integrum argumentum in istis exemplis cernitur: sed eodem etiam pertinent Scripturarum & Patrum testimonia, quæ habes in Apologia Regia: ex quibus omnibus, simul non seorsim perpendendis, vnum quod dixi infertur. Nec iam hic querimur, quod primum promissum reuocaris: nimium erat quod pollicitus fueras, te ostensurum *ea quæ pro primatu Regis* in Tortura *afferuntur, ita leuia esse, vt res abeat in contemptum.* Abscindè aliquid:

Οὐδ' Ἀχιλεὺς πάντεσσι τέλος μύθοις ἐπιθήσει:
ἀλλὰ τὸ μὲν τελέει, τὸ δὲ καὶ μεσσηγὺ κολούει.

Vel truncum tamen, & curtum præsta promissum. Omitte quæ *alibi à te refutata* credulis persuadeas: sed & reliqua nimis multa: amplius mutila promissum: omitte *communia* Episcopo cum Rege: sed & quæ habet *peculiaria*, molestiã facerent: concedimus ergo & de illis, amputa vt lubet: *vnum* tamen quod habet *peculiare, pro Primatu Regis excute.* Imo non quod habet *peculiare*: at saltem quod habet *pro primatu Regis.* Imo non quidem quod *habet pro hoc Primatu*: at quod habet tamen *argumentum* videamus. Imo non quidem argumentum integrum, sed partem argumenti: & eam ita tuis somnijs interpolatã, vt multò plus referat de tuo figmento, quàm de Episcopi argumento.

§ 2. Proposito vt placuit, vel potius ad libidinem deprauato argumento: pergis ad exempla quinque Principum Politicorum: Mosis, Iosuæ,

Nabucadnezaris, Pharaonis, Cyri. Primum de quadruplici persona Mosis expatiaris multis: vbi etiam diligenter, rem scilicet valdè dubiam, Mosem fuisse Principem secularem, probas ex Exodo, & Augustino: etiam legislatorem fuisse, ex loco Ioan. 1. 17. Prophetam quoque vt probes fuisse, recitas locum longiusculum ex Num. 12. 6. quasi vero nobis horum aliquid aut negaretur, aut nesciretur. Summum quoque Sacerdotem fuisse probas. Sed hic oblitus es turpiter, quod te * Tortura admonuerat, in exemplo Mosis ad Primatum Regium, non tam quæri, vtrum summus Sacerdos fuerit: quàm vtrum post consecratum Aaronem fuerit. Scimus enim Mosi in Ecclesiasticis post consecratum Aaronem, obeditum vt supremo gubernatori: nec vt Prophetę, aut legislatori (credo) dixeris: restat ergo, vt obeditum dicas Mosi in hoc negotiorum genere, vel tanquam Principi seculari, vel tanquam summo Sacerdoti. Nec tamen post consecratum Aaronem, facile persuaseris Mosem permansisse summum Sacerdotem: ne duos summos, quasi duos Antipapas, faciens, bicipitem facias Ecclesiam sub Mose. Hic ergo (siquid de Mosis Sacerdotio monere volueras,) pretium operæ fuit, vt hanc difficultatem solueres. Sed quorsum solueres, quasi feram, quæ vel ligata molestiam creat? quare hoc loco prudenter, & ex arte prætermisso, post expositam quadruplicem personam Mosis,

* Pag. 318.

Transis ex abrupto ad Iosuam. De eo primum negas successisse Mosi, aut in legislatione, aut in Pontificatu: de Prophetia mittis disputare. Tum g vt probes successisse in Principatu, recitas locum longi-

g *Bec pag. 58. Successit tamē in Principatu seculari: hoc patet ex illo, Num. 27 18. Dixitq; Dominus ad Mosem: tolle Iosue filium Nun, &c.*

longiusculum, ex Num. 27. 18. *In quibus verbis tria* (inquis) *notanda sunt, quæ ad rem nostram faciunt: Primum, quod Iosue sit designatus successor Mosis:* (& quid quæso hoc ad propositum vestrum?) *alterum, quod Moses dederit illi* [h] *partem gloriæ suæ: quod non dederit illi totam potestatem quam habebat,* (ne in hoc quidem pugnamus: dedit enim ea modò, quæ ad gloriam, seu, vt vocas, potestatem Principis secularis pertinebant:) *tertium quod voluerit illum subesse Eleazaro sacerdoti: & ad eius imperia omnia facere. Hoc enim* (inquis) *significant illa verba: Pro hoc Iosue, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet dominum: ad verbum eius* (*id est Eleazari*) *egredietur, & ingredietur Iosue.* Ita dum de cœlo, id est de Ecclesia, contendimus; iterum iam (si tibi credimus) terram, id est temporalem Regum potestatem, amisimus. In Bozij (scio) gratiam, & Martæ Neapolitani, & reliqui huius gregis ridiculi, hoc tertium notasti. Sed fidem quæso fac mihi, siccum te solere, & sobrium scribere. Quæ enim hæc obliuio sobrij mendacis, quod priore periodo dixeras, hac periodo euertere? etiam quod hac periodo dicis, idem eâ, quæ proximè sequitur, euertere? Modò dixeras, Mosis potestatem secularem Iosuæ traditam: *summus ergo Princeps secularis Iosua.* Nunc addis, Mosem voluisse, vt Iosua omnia faceret *ad imperia Eleazari:* at quem ad aliena imperia oportet omnia facere, minimè dicendus ille summus Princeps secularis: *non ergo summus Princeps secularis Iosua.* Nec enim (credo) interpretabere tuum illud *omnia,* de solis Ecclesiasticis, potius quam de omnibus, de quibus Deus consulendus:

h *Glossa ordin: in hunc locum, exponens quomodo partẽ gloriæ intelligi oporteat.* Quasi (*inquit*) facies eum sociũ gloriæ tuæ: non enim res huiusmodi, quasi partiliter diuisę minuuntur, sed totæ sunt omnibus totæ singulis. *Nec in Hebræo habemus* partẽ glorię, *sed* de gloria: *quasi dicat* gloriam de gloria tua: *vt ita intelligendũ videatur vt in propagationib⁹, vbi nõ pars speciei, sed tota traducitur.*

lendus: qui proculdubio, dum per ſacerdotem geſtantem Vrim, & Thummim reſpondebat, etiam de ſecularibus conſulendus erat. Ita pro *ſeculari*, quem modò agnouiſti, * *temporalem* Principem Ioſuam nobis dediſti: & temporis quidem perexigui: quamdiu inter duas periodos reſpirat lector tuus. Sed & quem prius euexeras in principatum ſecularem, & iam de eodem principatu deijcis: eundem i ſtatim in integrum, aut in partem ſaltem dignitatis reſtituis: cum Eleazaro obedientiam debitam, non in omnibus vt modò, ſed in Eccleſiaſticis: idque ex hoc ipſo contextu contendis: Ἠ' ῥά τις ἀπλίαν βαρυγκίνατις, ὦ ῥα φίλυπνος: ὦ ῥα πολὺν τιν' ἔπινε.

§ 3. Ex iſtis de Ioſua propoſitis, partim otioſis, & nihil ad rem: partim ſibi inuicem repugnantibus: aggrederis tandem ad locum de eodem, qui habetur Ioſ. 1. 17. reſpondere. Integrum argumentum dixi conſtare, partim exemplis, partim teſtimonijs Scripturarum, & alijs denique veterum patrum: ex quibus omnibus ſimul ſumptis, concluditur, ciuilem obedientiam regibus deberi, vel inuito mortali quocunque. Ad hunc finem in exemplo Ioſuę ex loco Ioſ. 1, 17. duo momenta: vtrumque ex eo, quòd populus Ioſuæ dixerit, *Pariturum ſe ei in omnibus, ſicut & Moſi paruerant*. Prius eſt quod Eleazarus Sacerdos non interceſſerit, *ne in omnibus*, ſed tantum in temporalibus. Vnde ſequitur, ſi exceptionem de ſpiritualibus cauſis non interpoſuit, multo minus de temporalibus, quaſi in ijs aliquando ſibi potius parere debuiſſent, interponi ab eo potuiſſe. Poſterius eſt quod non interceſſit, ne obedientiam in omnibus temporalibus ſponde-

* *Vt Iureconſulti dicunt*, nō conuenit moribus noſtris habere temporalem filiū.

i *Bec. pag.* 59. *Hinc* (inquit, puta ex verbis ijs quę iam ita expoſuerat, ac ſi Ioſua deberet ad Eleazari imperiū omnia facere) *facile apparet quā alieno ſenſu à te citatum ſit illud*, Sicut in iſtis obediuimus Moſi, ita obediemus & tibi *Tu enim ſic accipis, quaſi populus Iudæorū debuerit in omnibus, tam Eccleſiaſticis quā ſecularibus obedire Ioſuæ, ſicut obediuerat Moſi. Sed erras: primo, quia in Eccleſiaſticis debebant obedire Eleazaro ſacerdoti, &c.*

ſponderent: ac ſi in his quoque, cum videretur, interdicere potuiſſet, ne parêrent. Poſterius hoc momentum, & [k] ſupra in recitatione, & hic in reſponſione totum prætermittis. Atque hoc primum hic à te peccatum contra legem candoris ingenui. Sed & iterum peccas, cum recitas quaſi ex textu, *Sicut in iſtis obediuimus Moſi, ita obediemus & tibi:* expreſſa enim verba ſunt, *ſicut in omnibus &c.* Nec leuis deprauatio hæc: ex eo enim quod dicitur, non in parte, *ſicut in iſtis:* ſed in genere, *ſicut in omnibus:* vtrumque, vt dixi, rationis noſtræ momentum dependet. Etiam cum ad prius momentum, quò minus ſaltem in Eccleſiaſticis obedituros ſe Ioſuę profiteantur, duo excipias: ad vtramque exceptionem ex his verbis contextus, quæ immutare non metuis, reſponſio ſuppeditatur. *In Eccleſiaſticis,* inquis, *debebant obedire Eleazaro Sacerdoti: ergo non Ioſuæ in omnibus.* Imo verò quia & Ioſuæ in omnibus promittunt ſe obedituros: ideo obedientiam, quæ Eleazaro in Eccleſiaſticis debebatur, ita interpretamur, vt vnà cum altera, quæ Ioſuæ in eodem rerum genere debetur, [l] conſiſtat. Vt huius poteſtati, illius auctoritati pareant: huic curanti, vt officia ſua ſinguli exequantur, illi officium ſacerdotale exequenti. Nam ſi (vt videris quidem velle) ex eo quod dicitur, Num.27.18. *ad verbum eius* (id eſt, vt exponis, Eleazari) *egredietur, & ingredietur Ioſua,* id modò effici cupis, non quidem vt in gubernatione ciuili, ſed tantum vt in Eccleſiaſticarum rerum gubernatione ſubſit Ioſua Eleazaro: reclamabunt verba contextus: quæ non modò de Eccleſiaſticis negotijs loquuntur: ſed

etiam

k *Vide ſupra* § 1. *in marg.*

l *Quomodo & Moſi & Aaroni parebant in rebus religionis.*

etiam de omnibus, de quibus Deus consulendus per Sacerdotem fuerat. Nec tamen ita de his omnibus, vt, secundũ prioris tuæ periodi sententiam, in ijs omnibus Iosuam imperio Eleazari subijciant: sed oraculo diuino: cuius tum certus interpres Eleazarus, & post eum diu successores eius fuerant. Si Papa itidem certus interpres esset voluntatis diuinæ, fateremur, & ad verbum Papæ, principibus egrediendum, & ingrediendum. Nec tamen ideo diceremus principibus omnia facienda ex consilio Papæ: nec enim de omnibus Deum consulebant per Sacerdotem: nec cum per os Sacerdotis diuinum responsum acciperent, Sacerdotis imperio paruisse, aut ad Sacerdotis imperium (vt loqueris) quicquam fecisse dicantur. Vt nec Fecialis, sed Regis imperio paret, qui Feciali, Regis mandatum deferente, paret. Nec tamen damus quod tuo more sine probatione sumis, illud ***ad verbum eius***, exponendum potius ad verbum Eleazari, quàm ad verbum [m] Domini. Certè enim in Hebræo hoc antecedens propius: Et interpretes, etiam vestri homines, potius stant ab hac interpretatione, quàm à tua. Audi Hieronymum ab Oleastro, sacræ Theologiæ Professorem, & in vrbe Olyssipone Inquisitorem. *Et iuxta os eius* (inquit) *scilicet Domini: & per os intellige præceptum.* Addit: *Aliqui hoc ad*

m *Abulensis exponit, ad verbum Iosuæ: & illud* egredietur & ingredietur, *non de Iosua, sed de Eleazaro.* Ad verbum (*inquit*) eius egredietur & ingredietur: *id est, Eleazarus sacerdos seruiet ad præceptum Iosuæ: scilicet faciendo quicquid ipse iusserit.* Et paulo post: *Considerandum* (inquit) *quod hic præponitur Iosua, quia erat princeps secularis, summo Sacerdoti directè. Ita vt teneretur Eleazarus obedire Iosuæ in omnibus, quæ iuberet, sic vt ceteri de populo.* Et paulo post: *Et sic fuit in toto veteri Testamento: quod Sacerdotes summi essent sub Regibus. Nunc autem è contrario: quia omnis secularis potestas obedit summo Pontifici.*

sacerdotem

ſacerdotem referunt: ad cuius imperium, Princeps & populus debebat egredi & reuerti: quod etiam verum eſt, quod ad eius imperium pendens à conſultatione domini, non abſolutè. At tu certè abſolutè intelligi vis: & planè *omnia* fieri à Ioſua *ad Eleazari imperia.* Vnde & ſtatim in appendice, ex his verbis concludis, *Igitur Princeps ſecularis iubetur ad arbitrium ſacerdotis ſua facere.* Inepte: aut non omnino iubetur ad verbum ſacerdotis egredi & ingredi, ſed ad verbum Dei: quod probabilius videtur, etiam veſtris hominibus: aut ſaltem non abſolutè, ſed ad verbum eius *pendens à conſultatione Domini:* id eſt quatenus internuntius eſt voluntatis diuinæ. Et quis vnquam mandata Regis ab internuntio accipiens, dixerit ſe ſua facere ad internuntij *arbitrium:* aut ſe teneri *omnia facere* ad internuntij *imperium:* aut ſe omnino hoc nomine *ſubeſſe* internuntio? eat ergo in ventos prior tua exceptio, contra alterum eorum, quæ dixi in exemplo Ioſuæ ab Epiſcopo notari. Alterum enim quod notat (vt dixi) diſſimulas: vnum modò illud, de quo hactenus reſpondi, quod à cauſa remotius eſt, agnoſcis: cui & exceptionem alteram tandem opponis, ea nunc videnda.

Secundò (inquis) *cùm illud, ſicut in*[n] *iſtis obediuimus Moſi, ita obediemus & tibi, ſic accipit, quaſi populus Iudæorum debuerit in omnibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularib⁹ obedire Ioſuæ, ſicut obediuerat Moſi: errat: quia illa verba, ſicut obediuimus Moſi, non ſunt prolata*[o] *à toto populo: ſed tantum à Reubenitis, Gaditis,*

n *Textus ipſe quem mox recitat pag. 61. habet* in cunctis.

o *Nec Epiſcopus vſquã dicit prolata* à toto populo, *ſed* à populo: *vbi cum non addit* Iſraëliticum, *ſatis præoccupat hanc calumniam: Nec negabit tam numeroſos harum tribuum & ſemitribûs exercitûs, rectè* populũ *dici.*

ditis, & dimidia tribu Manasse: Nec illi voluerunt dicere, quod vellent obedire Iosuæ in omnibus simpliciter, in quibus Mosi obediuerant (tametsi sæpe huic obmurmurarunt, & non obedierint) sed in ijs tantum, quæ à Mose circa illos constituta erant: nimirum, vt relictis vxoribus, filijs, ac iumentis in eo loco, in quo tunc erant, ipsi armati, cum reliquis tribubus transirent Iordanem: & pugnarent contra hostes: donec ijs debellatis, reliquæ tribus haberent quietam ibi possessionem. Posthæc recitas verba Iosuæ ad Reubenitas, & Gaditas, & semitribum Manassis: quibus verbis hæc constitutio Mosaica ijs in memoriam reuocatur. Vnde, cum respondent, *omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & quocunque miseris ibimus: sicut obediuimus in cunctis Mosi, ita obediemus & tibi.* Sic tandem disputas.

Hoc responsum refertur ad illa quæ præcesserunt.

At in ijs quæ præcesserunt, nulla fit mentio rerum Ecclesiasticarum, sed tantum belli suscipiendi contra hostes, qui terram inhabitabant:

Igitur hac ex parte corruit argumentum Episcopi.

Imò verò tuum hoc loco Argumentum non *corruit* (nunquam enim stetit) sed iacet sub pedibus. Quid enim si hoc responsum refertur ad præcedentia, vbi nulla mentio rerum Ecclesiasticarum? An ergo statim & ad ea restringitur? Cum Dux nouus imperium iniens dicit militibus, *hoc facite nunc:* & respondent hi, *Faciemus verò, & in omnibus tibi sicut Prædecessori tuo, obediemus: morte afficiatur, qui mandato tuo, quicquid edixeris, repugnet:* (nam & hoc addunt ad Iosuam) caueat dux, ne erret: restringenda hæc obedientiæ professio, ad id vnum, vnde occasio profitendæ obedientiæ data. Nec

adiuuabit circumstantia temporis, quòd imperium incunti hæc dicantur: quo tempore solent milites quauis occasione profiteri promptam, non solum in hoc, aut illo officio obedientiam ad tempus: sed in omnibus, & perpetuam: parum hoc ad rem, nec omnino tanti, quin quod refertur ad præsentem occasionem, etiam ad eandem restringatur. Dic similiter de illo, *pasce oues*, quod Petro (testibus antiquis [p] patribus) nominatim, ea occasione ter dictum, quo sic triplicem negationem triplici confessione deleret: de hoc Christi dicto, dic referri ad triplicem negationem: ideoque etiamsi oues *omnes* dixisset expressè (quod non dicit) tamen referendum, (id est restringendum,) ad eos modò, quos triplici negatione offenderat. Sed ne illud quidem cogitasti: Reubenitas, & Gaditas, & semitribũ Manassis, in hoc quod Iosua ijs imperat, nondum paruisse Mosi: quomodo ergo dicunt *in omnibus* id est (secundum te) *in hoc, quod nunc imperas, sicut Mosi paruimus,* (cui nondum in hoc paruerant) *& tibi parebimus?* Nunc enim tandem tempus, vt præstare inciperent, quod Moses constituerat ijs de transeundo Iordane. Quod hactenus circa hanc rem actum fuerat, priores ipsi appetiuerant: in quo non tam paruerant Mosi, quàm ipsis Moses, quod cupiebant indulserat. Nam quod de obmurmurationibus contra Mosem interseris parenthesim, vides quàm ineptum sit: quid enim vis? vt mentalem vestram reseruationem, in illo *sicut Mosi*, subintelligamus: vt æquiuocatione Iesuitica deludant Iosuam? in omnibus parebimus: sed sicut Mosi: id est vt in aliquibus, tamen per pertinaciam non pareamus:

p *Cyrillo & Augustino in Ioh. 21. vide Torturam pag. 51.*

pareamus: non caret impietate hæc glossa. Nec adiuuat ad propositum, nisi addideris, vt, cum Eleazarus (sicut olim Aaron) vitulum aureum fecerit, tunc quidem ipsi potius pareamus: sicut olim de vitulo aureo potius Aaroni, quàm Mosi obeditum. Nec tamen pij ex Israelitis vnquam obmurmurarunt Mosi: piorum autem hæc inprimis responsio ad Iosuam: quibus ceteri vno ore suffragantur. Stat ergo, qui Mosi in omnibus, etiam Ecclesiasticis paruerant: & hoc loco eandem Iosuæ obedientiam profitentur: eos etiam Iosuæ obedientiam in Ecclesiasticis profiteri. Nec impedit quod notas supra (vbi tamen nulla huius notæ applicatio ad propositum) non totam gloriam Mosaicam, sed [q] partem gloriæ communicatam Iosuæ. Erant enim præter supremam potestatem in rebus tam ciuilibus, quàm Ecclesiasticis, aliæ partes gloriæ Mosaicæ, quarum cum exsors fuerit Iosua, rectè dicatur accepisse de gloria Mosaica: etsi potestatis quidem ordinariæ ex asse hæres fuerit.

[q] *Vide supra sub finem* § 2. *in margine.*

§ 4. *Ex altera* (inquis) *parte, qua agitur de Regibus Gentilibus & Idololatris, non video, quam vim habeat Argumentum. Nam tres illi Reges, quos citasti, vel ex tua sententia fuerunt Primates Ecclesiæ Dei, vel non fuerunt. Non dices fuisse: quia non semel contrarium asseris in Tortura tua.* De hoc priore cornu huius dilemmatis, [r] supra dixi, quomodo etsi in nos testudineum, ad tua tamen vulnera satis validum sit: qui, quam nobis sententiam supra imputasti, eam hoc loco fateris nostram omnino non esse. Restat vt de altero cornu videamus *Si non fuerunt* (inquis) *Primates Ecclesiæ: quomodo eorum*

[r] § 1. *post medium.*

exemplo

exemplo probare vis Regem Angliæ esse Primatem Ecclesiæ? Respondeo Primatis nomen à nobis non attribui Regi, sed vtrique Archiepiscopo. Hoc primum de nomine. De re [f] supra monui, aliud hoc loco agi, non vt Primatus Ecclesiæ, sed vt ciuilis obedientia Regibus, vel infidelibus (multò verò magis excommunicatis) asseratur: eaque etiam inuito mortali quocunque: quanquam & alicubi docui, quomodo ab exemplis Regum, etiam Gentilium, quasi argumento à maiore [t] Chrysostomus disputet, pro Regum Christianorum potestate in personas Ecclesiasticas. Sed horum nihil tu quidem *vides*: qui tamen *tam cernis acutum: quam aut aquila, aut serpens Epidaurius*. Quid igitur hîc vides?

f § 1. *sub finem.*

t *Sub finem capitis sexti.*

Hoc solum (inquis) *video posse effici* (puta ex tribus illis exemplis Regum Gentilium) *quod sicut Iudæi, non audebant egredi ex Ægypto, vt Deo sacrificarent, sine venia Pharaonis, qui illos suo iugo crudeliter subiecerat: sic etiam Catholici, qui in Anglia sunt, non ausint egredi ad loca Catholica, vt ibi Eucharistiam Catholico ritu suscipiant, nisi impetratâ veniâ à Iacobo Rege: sub pœna carceris, aut capitis, & sic deinceps: Sed quid hoc ad Primatum Ecclesiæ? potius* (inquis) *ad tyrannidem, vel impietatem spectare dixerim.* Atque hactenus quidem Becanus: in quo homine certant quasi riuales, malignitas & stupiditas: vtra primas teneat. Vtrique vt satisfacias, ita claudis disputationem his verbis, vt vtram magis habeas in delicijs, ambiguum sit. Malignitatem alius forte plus in te iuris habere dixerit: quod postrema verba sapiant fel merum in Regem: quemadmodum

admodum & Epilogi, quem ſubiungis, poſtrema ſel merum in Epiſcopum: quaſi [u] libertatem calami & iudicij in ſcribenda Torti Torturâ, Regi ad adulandum gratificatus eſſet. Sed & loca (vt notaui paſſim) huius diſputationis plurima, calcitratione in Regem, onager inſulſiſſimus, clauſiſti. Etiam illam quam vocas Refutationem Apologię, & Monitoriæ Præfationis ſereniſſimi Regis Angliæ, ſimili calcitratione claudis. Cum concilium generale Anabaptiſtarum, & Lutheranorum, poſtquam mimicè luſeras, à Præſidente Concilij Rege, vel noſtro, vel Daniæ, vel Succiæ, dimitti vis verſu illo:

Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.

Et quis vel capella ſatura, vel caprimulgus eſuritor, vt Martinus Becanus? quis vel ſcurra in nomen Regium, vel ſententioſus, conuitiorum cenſor, idem conuitiator turpiſſimus, vt ſophiſta Moguntinus? ſimilitudinem Regi benigniſſimo cum Pharaone in eo conſtituis, quod vterque *ſuo iugo crudeliter ſubiecerint* populum Dei, ne religionis ergô ſuis finibus egredi poſſent. Etiam legiſlatores, quorum Princeps Rex Iacobus, *tyrannidis & impietatis* accuſas, quod veſtrorum hominum, poſt homines natos immaniſſimis ſceleribus coacti, legem neceſſariam ſanxerint: quam tamen, ſicut & ceteras, cum ſumma æquitate & clementiæ moderatione, pietas Regia attemperat. Sed ille quidem quicquid inter tui ſimiles fratres in ſcelere (*ter coniuratos cœlum reſcindere fratres*) quicquid conuitij à tua, hominis ſordidi, petulantia audiet: nobis certè, & pijs omnibus, etiam doctis & ingenuis ex veſtris, iuſtus, benignus, pius, magnanimus celebrabitur.

[u] *Verba Becani.* Et hæc omnia ex ſtudio adulandi Regi orta ſunt. *Vide reſponſum ad hoc conuitium, cap. 20.*

Videamus

Videamus etiam in summa maledicentia, summam stupiditatem tuam. Quæ duo notaui in exemplis gentilium illorum Regum, contra vos facere, neutrum *vides*. Est tamen quod *vides hinc effici posse* (loquar ex stylo tuo elegante) *quod Catholici non ausint, ad loca Catholica egredi, vt Eucharistiam ritu Catholico suscipiant.* Si hoc *effici* (id est probari) potest ex illis exemplis, & hoc ipse *vides*, & *videre* profiteris, cur idem istud statim accusas impietatis & tyrannidis? Sed dic quæso, benè an malè facerent Catholici vestri, si contra legis vetitum egrederentur? si malè, cur legem accusas? si benè, cur non audent, vel contra legem. quos certè aliàs lex non terret, quin quæ visum erit, vel contra legem faciant? Et quæ tyrannis aut impietas, si exemplis Regum Gentilium probatur Catholicos vestros *non audere egredi? potius* (inquis) *ad tyrannidem vel impietatem spectare videtur, quod non ausint egredi sine venia:* Quid verò si alia timoris causa, quam à legibus? quid si, ne cum venia quidem ausint? Addis, *Regem hoc sine sua voluntate nolle fieri.* Benè restringis istud *nolle*, ne cui forte videatur nolle aliqua vel cum sua voluntate fieri. Sed num etiam non vult Eucharistiam *ritu Catholico* (id est ritu orthodoxorum) suscipi? certè quàm maximè cupit. An verò etiam loca Catholica, aut hæretica habetis? hoc erat (credo) quod etiam locum Pananglij, succenso puluere tormentario, sublatum voluistis. Etiamne detritis prætextibus, quasi *ad Eucharistiam egrediantur*, ludi posse legum prouidentiam putas? Ad *Eucharistiam suscipiendam* Winterus socius Catsbeij, Garneti tabellarius,

rius, in Hiſpaniam ad Creſwellum Ieſuitarum Reſponſalem: *Euchariſtiæ* ſuſcipiendæ ſola cauſa, idem mox in Flandriam, ad Owenum, ad Stanleium, ad Fawkium, nauigauit. *Euchariſtiæ* cauſa paulò poſt ad eundem Creſwellum, ex Anglia cum literis Garneti Chriſtophorus Wrightus: & ex Flandria ab Oweno, Fawkius properauit. *Euchariſtiæ* à Perſonio ſibi miniſtrandæ cauſa, cum Garneti literis de Puluerariæ Coniurationis progreſſu, Baynamus ille (qui gregis damnati dux ὤχετ᾽ ἤδη) Romam, paulo ante detectam coniurationem, petijt. *Euchariſtiam* denique & ſacri ſanguinis myſterium, non noſtrum ſanguinem ſitiens, recurrit in Flandriam Fawkius: vt Owenum taciturnitatis Sacramento coniuratis aſtringeret. Ἀχάριστον αἰδεστὸν ἀνίημα, quorſum ita *Euchariſtiam*, expertis veſtrorum hominum ſcelera, obtenditis?

CAP. XXVIII.

Ad Epilogum & Appendicem.



EPilogus tuus per Metaphraſim facillimam ſibi ipſi reſpondet.

Habes breuiter, quid mihi viſum ſit de tuo, vel *libro,* vel fragmento: quod contra Epiſcopum Eccleſiæ Anglicanæ egregium *ſcripſiſti. Habes inquam,* præter alia multa, *hæc tria puncta. Primò quòd ſæpe non tam argumentis, quàm conuitijs rem geſſeris. Secundò quod omnia*, vel *Paradoxis*, vel falſis præſumptionibus

nibus *fœdaueris. Tertiò quod Primatum* Papæ, *quem astruere voluisti*, ſæpe *euerteris, potius quàm firmaueris. Et hæc omnia ex ſtudio adulandi* Papæ *orta ſunt: Igitur ſi hoc ſtudium repreſſeris, & ſolam rei veritatem ſpectaueris: facillimum erit priora vitia emendare: quod vt facias omnino tibi auctor ſim: facies autem, ſi Deum, qui prima veritas eſt, præ oculis habebis.*

§ 2. Appendicem teſtimoniorum, partim ex Scripturis ſacris, partim ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, poſt Epilogum ſubijcis: propoſitum huius appendicis, ex verbis tuis facile colligitur illud eſſe, vt pateat auctoritatem Papæ ab Epiſcopo, infra quàm par eſt, deprimi: Regis, ſupra quàm par eſt, extolli. Sed neque verba Epiſcopi vlla recitas, quibus hæc teſtimonia repugnent: neque concluſionem omnino vllam, niſi ex primo teſtimonio elicis. Nec, quæ ipſa primo intuitu videntur, aut nihil pro te facere, aut auctoribus parum fide dignis niti, vlla confirmatione, aut explicatione locupletas. Etiam, cum ad pleraq; iam ſexcenties à noſtris hominibus reſponſum ſit, nihil agnoſcis: nihil diluis. Etiam, cum permulta ex his teſtimonijs, ab Epiſcopo in Tortura ventilata ſint, & excuſſa diligenter, vt quæ etiam in Torto Bellarmini vrgeantur, tu tamen homo amens, in extremo actu refutationis huius Torturæ, mera iſta eadem & nuda obtrudis: nihil prorſus neque ſentiens, neque agnoſcens eorum, quæ eo ipſo in libro, quem hîc refutare profiteris, multa egregiè contra vos, de his ipſis teſtimonijs dicuntur. Nam & ad locum Deut. 17. 12. *qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio &c.* [a] In Tortura reſpondetur: & [b] ad vexata illa,

a *Pag.*317.
b *Pag.*51.60. *& ſeq. item*, 318.

c Pag. 169. *Pasce oues*, & *Tibi dabo claues*, de [c] Osij quoque Cordubensis dicto ad Constantium Arianum, & d Pag. 170. de altero [d] Ambrosij ad Valentinianum Iuniorem e Pag. 174. Arianis indulgentem: de responso etiam [e] Senioris Valentiniani, habes in eâdem Torturâ iustam rationem, cur nostræ sententiæ nihil officiat. Habes & ad alia quædam quæ hîc profers, in eodem f Pag. 386. libro responsiones idoneas, puta ad locum [f] Nazianzeni, quem locum tanti facitis: & ad exemplum g Pag. 364. [g] Iehosaphati, quod ita premitis, vt iamdiu grauiter vos pupugerit: Sed quæ aut ad hæc, aut ad prædicta in Tortura respondentur, omnia ne te torquerent, vel forte ne veri confessionem tibi extorquerent, quasi velo obiecto dissimulas probè: & eidem eadem, quasi ad ea nihil dixisset, gnauiter regeris: vt si tu quidem nugator non sis, non facile intelligam quid sit nugatio. Nam & ex nouendecem istis testimonijs, multa habes vnũ in locum similiter congesta in quæstionibus Miscellaneis: in libro autem quem inscribis, *Refutationem Apologiæ, & Monitoriæ Præfationis Serenissimi Regis Angliæ*, vix vnum omisisti: nec tamen vllum diligenter tractas, aut munis, contra ea quæ à nobis vulgò excipiuntur. Habes ad hunc librum tuum responsionem doctissimi Decani Lichefildensis. In ea, ne desideres, & ad sexdecem ex his nouendecem testimonijs respondetur, & acute, & solidè. Nec enim pauciora quàm sexdecem, ex hoc numero suppeditauit huic tuæ Appendici liber ille contra Regem, solo titulo nobilis & venalis.

§ 3. Vbi, si erat cur cetera ad implendas paginas transcriberes: at Gregorij septimi, aut Innocentij

centij tertij teſtimonia cur putares tanti, vt tam ad nauſeam ingeminanda viderentur, non video: planè enim aut ſtolidum, aut in quæſtione de Papali ad Reges deponendos poteſtate, hoſpitem oportet eſſe, qui horum alterutrum, ijs qui hanc poteſtatem non admittunt, in hac quæſtione pro auctore, aut pro teſte fide digno obtrudat. Nec multò ſanè melior auctor aut Papa Iohannes 8[9]. poſt annos à Chriſto ferè nongentos: aut Aleonora Angliæ Regina, iam vidua. Hæc cum meminiſſet cuius ex ſententia maritus ſuus Henricus ſecundus, plagas in carne nuda perpeſſus fuerat, cum iam hora eſſet veſtra & poteſtas tenebrarum, quid mirum, ſi vel errore temporis, vel infirmitate ſexus, vel etiam ſtudio filij Richardi ſecundi per Papalem auctoritatem liberandi, plus æquo Pontifici attribuit? Cetera quæ adducis, vel potius in cumulum conijcis, fateor non auctorum vitio, ſed conſequentiæ, nihil adiuuant.

Primum, ex Num. 27. vbi vis ad verbum Eleazari Ioſuam iuberi ingredi, & egredi, quam vim habeat, modò expoſui. Nec ſi tibi operæ pretium ad implendum numerum, quod vix duabus ante paginis habueras, huc reuocare, & in prima acie locare: ideo & mihi nunc iteranda ad tædium reſponſio.

Ad ſecundum ex Deuteron. 17. 12. de eo qui ſuperbierit, nolens ſacerdotis ſummi, iudicio in re controuerſa, quæ ad Sacerdotis cognitionem pertineret, acquieſcere. Reſpondeo, non in omnibus, ſed in certis cauſarum generibus, quæ non Regi cum ſubditis, ſed ſubditis inter ſeſe intercederent,

hanc auctoritatem summo Pontifici concedi : id quod ex versu 8. euidenter colligitur: Nec tamen, si tuam translationem sequimur, summo Pontifici sine Iudice, id est sine Principe seculari : quo etiam spectat quod ad vtrumque accedi oportuit, (v.9.) & ab vtroque responsum peti. Vt non minus Iudex ad decreti sanctionem conferat per potestatem, quàm Sacerdos per scientiam. Ex quo etiam euincitur nihil hîc constitui, vnde summo Sacerdoti in ipsum Iudicem potestas detur. Tertiam responsionem, vide apud Lyranum : quod ex illis verbis, *Ex præscripto Legis, &c. consequens sit, si à Lege fuerint diuaricati, non esse acquiescendum.* Quartam quoque responsionem vide apud alios : Legem hanc latam fuisse ratione Priuilegij Sacerdotum veteris Testamenti, quorum erat, & in rebus ciuilibus de iure respondere : etiam Deum consulebant in dubijs tam ciuilibus, quàm Ecclesiasticis: itaque vtroque hoc ritu iam cessante, & Legem hanc cum alijs Iudicialibus volunt cessasse.

Ad tertium, de ijs qui nolebant iussu Saulis, 1. Sam. 22. immanissimam in Sacerdotes carnificinam exequi : respondeo, si noluissent in quosuis alios innocentes iussu Regis crudelissimi manus suas extendere, non tamen statim dici potuissent, *pluris fecisse innocentum auctoritatem, quàm mandatum sui Regis:* neque igitur cum in Sacerdotes noluerunt hoc facere, ex hac eorum detestatione manifesti sceleris, quicquam huiusmodi rectè colligas.

h 2. Reg. 11.9. Ex [h] Ioiadæ vero facto, multo minus adiuuaris : quid enim fecit, aut cum legitimum Regni hæredem cædi eripuit, aut cum eundem solio paterno,

depositâ,

depoſitâ, & occiſâ immaniſſimâ vſurpatrice, reſtituit, quod non vel iure optimo facere potuiſſet, ſi nec omnino fuiſſet de tribu Leuitica? Nec enim iure ſummi Sacerdotis hæc egit: ſed ex officio viri in patria Principis, qui cum plurimum poſſet, deeſſe noluit cauſæ iuſtiſſimæ.

In verbis [i] Iehoſaphati teipſum iugulas. Eodem (i 2.Chr. 19.11.) enim modo dixit Amariam præſidere in ijs, quæ ad Deum pertinent, quo Zabadã in ijs, quę ad Regem. Quidni ergo vt hîc obnoxius rationibus reddendis Regi, ita & ille? Nam quod ea quæ ad Regem pertinent, ſeparantur ab ijs quę ad Deum, ita & 1.Cor. 2. Res hominis à Rebus Dei: vtque ex hac ſeparatione non ſequitur, Res Dei non pertinere ad hominem, ita nec ex illa, Res Dei nõ pertinere ad Regem.

De [k] Vzzia volente incenſum adolere, id eſt (k 2.Chr.26.16.) Sacerdotis officio fungi, fatemur impiè voluiſſe. ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅ, τις τοιαῦτά γε ῥέζοι. Nec huiuſmodi omnino quicquã Regi tribuimus. Agnoſcis ipſe [l] alibi. (l In prolegom. contra Regem, pa.18. vide ſupra cap. 10. § 5.)

Dictum Chriſti, *Paſce oues*, & alterum *Tibi dabo claues*, quàm miſerè torqueatis, & quàm nihil proficiatis indicaui, vbi diſceres in Tortura: habes & in eiuſdem Epiſcopi [m] reſponſione ad Apologiam (m Pag. 74. & 214.) Bellarmini. Sed & ex ipſo Bellarmino diſce, qui non raro diruit, ædificat. *Quædam*, [n] inquit, *Petro dicuntur ratione officij Paſtoralis: quæ perinde dicta intelliguntur omnibus paſtoribus: vt paſce oues meas.* Ita, (n De Pontif. lib.2.cap.12. ſub finem.) cum alibi agnoſcat omnes Epiſcopos paſtores eſſe, neceſſe & omnibus Epiſcopis, perinde vt Petro, dictum hoc fuiſſe. Quid vis amplius? hæc arx teſtimoniorũ tuorum: quam primipilus veſter euertit. Cetera quaſi caſtella Ligurum (id eſt hominum fal-

lacium) quàm illa indiga tuis præsidijs? quæ tamen nuda omnia deseris. Quasi illiberalis parens, quos peperisti liberos, neque vestire vis, neque alere. Non vt aquila quæ *excludit binos, tria procreat, educat vnum*: sed immitior multo: ne vnum quidem educas.

§ 4. Quid enim facient nuda illa, quæ adijcis? [o] *Spiritus Sanctus posuit Episcopos* (non Reges seculares) *regere Ecclesiam.* [p] *Sic nos existimet homo, vt dispensatores mysteriorum Dei.* Et iterum, [q] *Pro Christo legatione fungimur.* Ad primum, dico non fieri mentionem Regum, qui Ecclesiam regerent, quia nondum erant Reges Christiani. Ad secundum, fateor Reges non esse *dispensatores mysteriorũ Dei.* Nec enim, vt fungantur his officijs, necesse ad primatum: sed vt præsint fungentibus. Ad tertium, vtinam addidisses quæ sequuntur verbis proximis: *quasi Deo per nos obsecrante, oramus Christi nomine, reconciliemini Deo.* Vides quali legatione fungamur, non, vt cogamus, quod Regium est: sed vt obsecremus, hortemur, moneamus. Non, vt legatus ille Atheniensium, in altero sinu suadam, vim in altero gerimus: etsi vos quidem velitis sic esse: vt ita ludat nos Paulus: qui enim rogat, cogere cum possit; non rogat, sed iubet; vel potius, nisi annueris, minatur. Ita ex loco illo, 2. Cor. 5. 20. non tam ad euehendum Pontificem supra Regem, argumentum suppeditatur, ex eo quod Apostoli & eorum successores, legatione fungantur pro Christo: quàm in cõtrarium, ex eo quod non habeant potestatem, nisi orantium & obsecrantium. Cum enim superior homine homo dicatur, vel *præcellentia dignitatis*, vel

aucto-

o Act. 20. 28.
p 1. Cor. 4. 1.
q 2. Cor. 5. 20.

auctoritate directionis, vel *potestate coactionis*, quæ scilicet corporibus, & præsentis huius vitæ statui terrori esse possit: nisi de tertio hoc genere agas, planè ludis in hac tota controuersia, siue de Primatu Papæ, siue de eiusdem, qua Reges deponere posse dicitur, potestate. Nec de præcellentia dignitatis contendimus: sed de officio subditorum: nec vtrum summa Sacerdotalis præeminentia plus auctoritatis in rebus Ecclesiasticis habeat, quàm maiestas Regia: sed vtra vtri ita præstet, vt ab altera non modo rationes exigere possit, sed etiam pœnas temporales: In hoc enim præcipuè primatum Regium interpretamur.

§ 5. Itaque si Lex Christi Magistratum politicum subiecit potestati Nazianzeni, [r] & ipsius suggestui. Si præfuit & ipse, atque àdeo præfectura maiore & perfectiore, quàm Præses Prouinciæ (sic enim & non vltra sonant verba ipsissima, nec ad Imperatores loquitur, vt tu quidem malè recitas, nec de tribunali suo, vt alij, nec de imperio suo, vt Bellarminus in Apologia cap.4.) sed si huiusmodi potestas Nazianzeni fuit: tamen quia nihil habuit penes se, vnde refractarios terrore externo, aut pœnis temporalibus coerceret, & parêre sibi cogeret: nihil certè hinc contra nostram sententiam incommodi: qui primatum interpretamur in potestate coactionis. Sit summa Sacerdotalis potestas *maior:* id est ad vera & æterna bona conferenda plus possit: *sit perfectior:* vt quæ non solum ad finem spiritualem collineet, (quod commune habet cum potestate politica) sed etiam (quod habet proprium) per

r *Nazianz. in Orat. ad populũ timore perculsum, & Præsidem irascentẽ.*

per [s] media spiritualia operetur: tamen quia externa vis cogendi (vt dixi) non penes hanc potestatem, sed penes illam residet: quia hunc thesaurum gerunt Sacerdotes in vasis testaceis, nec sua, sed aliena, id est Dei, potestate nituntur: quæ ipsis alligata non est, sed potius in humana imbecillitate perficitur (id est perfecta apparet) ideo Primatus, qui in potestate cogendi, non in auctoritate dirigendi (multo vero minus in præeminentia dignitatis) consistit: ad Sacerdotes nequaquam pertinet. Nec tamen (credo) simpliciter præeminere, aut præcellere dixeris, aut qui respectu obiecti & finis præcellit (ne forte Pædagogum in schola Quæstori Politico, aut ipsi, in re pecuniaria, iudici dignitate anteponas) sed nec eum simpliciter præcellere volos, qui in ipso officij actu necessariò superior sit & dignior: ne forte pœnitentiarium Pontificis ipsi Pontifici simpliciter præcellere dicas: postremo etiam qui legationis nomine (quoniam hoc verbum vrges) alteri præcellit, vt Legatus Imperatoris Comiti Palatino, non (credo) statim eundẽ simpliciter præcellere affirmabis: Et quanquam *auctoritas directionis*, potius penes patrem in filios, quàm penes Regem: non tamen ideo & supremam filiorum gubernationem penes patrem, potius quàm penes Regem esse dixeris.

§ 7. Atque hinc intelligis facile, quomodo & illud quod ex ipsius Gregorij 7[i]. [t] Epistola ad Hermanum recitas, *Sacerdotes esse Regum patres, & magistros:* & alterum Iohannis Papæ 8. Imperatorem Catholicum filium esse, non præsulem Ecclesiæ, cui quod ad Religionem, discere competat,

[s] *Atq; hinc intellige quod addit Nazianzenus:* Nisi æquũ est spiritũ carni fasces submittere & cœlestia terrenis cedere, *nihil hoc facere cõtra ea quæ supra disputata sunt, cap. 8. § 3. de cõmuni fine vtriusque potestatu: hoc enim dictum Nazian. rectissime intelligitur, non de differentia finium, sed de differentia mediorum ad finem. Vide & alterã responsionem in Tortur. p. 387. & in respons. ad Apol. Bellarm. pag. 90. ex eo quod hæc nõ dicantur ad Imperatorem, sed ad Præsidem.*

[t] *Distinct. 96. can 9.*

non

non docere, illæso Primatu Regio admitti vtrumque possit. Quo maior tua stupiditas: qui in tanta turba sententiarum Gregorij huius septimi (auctoris in hac præsertim causa irrefragabilis) vnū quod tutò concedere tibi possumus, non modò semel in Miscellaneis, sed & iterum contra Regem, & tertiò hîc contra Torturam inculces. Sed & illud [u] Iohannis 8. quod addis, quo sensu ab eo dictum videtur, damus, *Imperatores & Reges Christianos subdere debere executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.* Loquitur enim non de omnibus principum consilijs, sed de ijs quas dicit *executiones:* quibus naturę ordine aliud aliquid supponitur antecedere, quod ab Ecclesiastica auctoritate pendeat: in his negat Regū, aut Imperatoris iudicium & electionem, præcurrere debere factum Præsulum, sed subsequi: vt ita auctoritati directionis, quam dixi citra primatum consistere posse, subdant & accommodent executiones suas. Verbi gratia: vt in negotio ordinationum, (de hoc enim loquitur verbis immediatè præcedentibus) si cui Princeps Beneficiū Ecclesiasticum conferre voluerit, non præscribat Episcopis ordinandum (quod non est subdere, sed præferre executiones suas, auctoritati Ecclesiasticæ) sed ab Episcopis ordinatum accipiat aliquem, quem approbatum intellexerit: atque ita iudicio suo iudicium Ecclesiasticum subsequatur: id quod non negamus quin deceat Regem Christianum. Etiam (quod forte mirabere) immanem illam differentiam inter Reges & Pontifices, quam statuit Innocentius [x] in Decretali, cuius partem præcipuam præ pudore supprimis, admittere

u *Dist.96.Can. 11. Sententiam huius Iohannis octaui de limitibus potestatis spiritualis, de quibus tota cōtrouersia hæc nostra mouetur, quàm aliena sit à modernâ pontificiorum, intellige ex ipsius verbis cap. Porro 16. q.3.* Ecclesiæ corporalia nescientes arma, solum Dominum & Propugnatorē suum, quando ei placuerit misereri, patienter expectant.

x *De Maiorit. Can.6.*

mittere possumus, saluo Primatu Regio. Fuit enim non dico quanta inter solem & lunam, sed quanta inter solem & lutum, tanta inter Paulum Apostolum & Cæsarem, siue Claudium, siue Neronem, differentia: tanta etiam inter Iohannem Euangelistam & Domitianum differentia. Et tamen his Cæsaribus Sancti illi viri seipsos, vt solo Deo minoribus, submisere. Itaque vt non personæ, ita neque professionis dignitas, sed specialis vocatio diuina, superiorem, quod ad regimen & subiectionem, facit alium alio.

§ 8. Ne te misceas in Ecclesiasticis (inquit Constantio [y] Osius) ne vero te misceas: nondum enim tempus: dedisce primum Arianam hæresim: deinde vel Iosiæ exemplum, vel Ezekiæ imitare. Quanquam, ne tum quidem tantum tibi licebit, quantũ nunc tibi sumis. Hoc voluit Osius: quod non ita clarè dixit, vt parceret Maiestati. Est enim Rex hæreticus, ad negotia Ecclesiastica contra ipsius hæresin, propomedũ vt Rex pupillus ad negotia reip: vtque huic diceret Papinianus, ne te misceas in rep: nec præcipe nobis: sed potius disce à nobis: ita Constantio Osius. Tibi, inquit, Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Non negat quin eidem & Ecclesiam subiecerit, sed eiusdem tamen curam quandam peculiarem, alijs non huic in re religionis concredidit. Nam & in re œconomica cuiusque ciuis, peculiaris cura, non Regis, sed patrisfamilias: nec tamen ideo negandum Regem esse supremum gubernatorem in rebus œconomicis totius Regni: Vtque tyranno curiosius scrutanti res ciuium domesticas, Paterfamilias non male

y *Osius apud Athanas. in Epist. ad solitariam vitam agentes.*

malè reſpondeat. Tibi Deus quę ſunt Imperij commiſit: nobis in ſua cuique domo, quæ ſunt œconomica concredidit: ita hoc loco Oſius ad Conſtantium: vbi cum nullum periculum, ne nimium obtineret, dandum aliquid exceſſui ſermonis. Nec impedit quod addit, de fratre huius Conſtantij bono Principe, ne eum quidem ſe hiſce quæſtionibus immiſcuiſſe: ſic enim & Paterfamilias, quem dixi, addat exempla bonorum Principum, qui minimè ſe immiſcuere rebus œconomicis priuatorum: nec tamen ideo ſequitur Regem non eſſe ſupremum gubernatorem, in hoc rerum genere.

Valentiniano Iuniori, Baſilicam Arianis concedere volenti, Ne putes (inquit[z] Ambroſius) te in ea quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Nec enim (vt ſupra monui) æquè abſoluta, aut *Imperialis* poteſtas Regia in rebus Eccleſiæ, atque in rebus Regni. Et quæ hîc *diuina* dicit, aut ipſam Baſilicam intelligit, vt neget licere Imperatori ſacrilego eſſe: aut mandatum diuinum dicit de Idololatria abolenda, & blaſphemis non tolerandis: quod vtrumque præceptum violaret, qui Baſilicâ vrbis primariâ Arianis traditâ, tantam huic blaſphemiæ ianuam patefaceret.

z *In Epiſt.* 33. *ad Marcell.*

Quod ex Sozomeno, lib. 2. cap. 7. refers Valentinianum ſeniorem dixiſſe, *ſibi non licere eiuſmodi negotijs* (Eccleſiaſticis) *ſe interponere, qui vnus è numero Laïcorum eſſet:* benè mones, & à Nicephoro referri: vbi ait, *Mihi facile non eſt,* qui negotijs occupatus, & reip: curis diſtentus ſum. Vnde & illud Sozomeni exponit Epiſcopus in Torturâ, vt cui rei ſatisfieri ſine ipſo poſſet, ipſe autem vacare non

poſſet,

possèt, nisi alia negotia grauissima negligeret, ei nec fas putaret manum admouere. Nec nescis illud, Οὐ θέμις ἄμμι συνέστιν, τὸν πάντα δεδοίκαμες: nihil esse nisi non expedit, non tutum est: vt forte homo militaris refugerit controuersa dogmata curiosius perscrutari. Alioquin cum respondisse putandus sit directè ad ea quæ peterentur, vide si non hæc historia potius probat, fas fuisse Imperatori seipsum his negotijs interponere, quia totius Hellesponti & Bithyniæ Episcopis orthodoxis visum hoc ab eo, per Legatum Hypatianum petere: quàm nefas fuisse Imperatori hoc concedere, quia ipsi visum hoc negare.

Plura & de hoc testimonio, & de non paucis eorum quæ hactenus percurri breuiter, vide apud [a] Episcopum in Tortura. De verbis Aleonoræ ad Cœlestinum tertium scribentis, cur nihil moremur dixi [b] supra. De quibus tamen si vltra desideras, vide Responsionem ad [c] Apologiam Bellarmini. Vnum hic quod te rogem, illud est: cum passim supposueris, vt notaui, locis huius libelluli tui [d] pluribus, non negare Episcopum, quin Rex, ideoque & Imperator excommunicari possit à Papa (falsò hoc quidem Episcopo imputas, sed tamen imputas) cur igitur ex huius Aleonoræ sententia (authentica scilicet) vt Episcopum erroris conuincas, nihil hoc loco recitas, nisi quod totum apud eum in confesso esse præsumis. Non Regem, non Imperatorem à iugo Papalis iurisdictionis eximi? Etiam cum in tota hac controuersia de Iuramento Fidelitatis (vt sæpe monui) demus hoc vobis, etsi pro falso tamen habeamus: cur non illud potius quod vrget Bellarminus, eiusdem mulieris testimonium arripuisti?

a *Locis supra notatis*, § 2.

b § 3.

c *Cap. 3. p. 82.*

d *Pag. 29. & 45.*

ripuisti?

ripuisti? cum ait, Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis omne regnum, omnisque potestas regenda committitur? Id forte erat, nondum hanc suam sententiam Bozianam prodiderat Bellarminus: quod nuper fecit in Dialogo contra Barclaium: Itaque nondum integrum testis tuæ testimonium ipse satis probaueras. Nunc habes auctoramentum à Bellarmino, id est ab oraculo Iesuitico. Itaque audenter hûc attexe & reliquum.

Aut si huius forte exemplum te moueat, quem vides iam (quod dicitur) hydriam, quam gestauit hactenus solicitè, in ipso tandem *domûs seculi* (id est sepulchri) limine fregisse: etiam, vt superstitem se videat suæ gloriæ, nec notam publicam apud vestros Catholicos Principes vitauerit: Sape tandem hoc exemplo, & depone malam causam: quam non potes liberè sine publica infamia, nisi forte tergiuersando, & ad aliena (vt hactenus fecisti) declinando, sustinere. Etiam, siquis consilio locus, ad totum istud Polemicũ scribendi genus, vbi *vadunt solida vi*, intellige, quã sis ineptus. Tibi dictũ puta, οὔτοι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήϊα ἔργα. In vmbratilibus Bacularium tuorum, & Initiatorum velitationibus dominari, & dictationum quotidianarum pingui Minerua fatuos auditores pascere contentus, *vuida* de naufragio, *suspende potenti vestimenta maris Deo.* Desine aranea, casses incassum contra accipitres tendere: & pertæsus humũ, & sordes, scarabeus in nidos aquilarum irrepere: aut (si dignus es honestiùs comparari) hinnulos caue deponere,

ἐν ξυλόχῳ ἔλαφος κρατεροῖο λέοντος.


FINIS.

Pagina.	Linea.	Erratum.	Lege.
10	15	*Regis*	*Legis*
15	29	*etiam*	*aliam*
21	8	*Scubanius*	*Scribanius*
23	12	*personam*	*personam :*
	13	*Cæsaryjs*	*Cæsaris*
24	7	*tertio*	*tertio ?*
	31	*fœdandum*	*fœdandam*
63	20	*veperisti*	*reperisti.*
90	28	*aut circumcisi*	*dele*
109	15	*quibus ip sos exorcistas vestros*	*quos ipsis exorcistis vestrũ*
118	31	*quam*	*quum*
170	26	*posint*	*possint*
205	18	*vide*	*fide*
222	10	*ides*	*ἴδετε*
250	22	*libentur*	*libenter*

In Margine.

213	10	*honesta*	*honesto*
233	1	*omnibus*	*in omnibus*
	8	*manigestum*	*manifestum*
256	36	*resurrectione*	*resurrectionem*
188	5	*Regi*	*Regis*





DE POTESTATE REGIA, ET VSVRpatione *Papali*,

PRO TORTVRA TORTI,

Contra Parallelum ANDREÆ EVDÆMONIOANNIS Cydonij Iesuitæ,

Responsio

ROBERTI BVRHILLI ANGLI.

Tertull. Apol. c. 1.

Ne torti quidem facilè, aut semper confitentur.



OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius,
An. Dom. 1613.